This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

G s
53
235

Gs 53,235

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books (the ancient classics), or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books."

QUIBUS AUCTORIBUS STRABO IN LIBRO TERTIO GEOGRAPHICORUM CONSCRIBENDO USUS SIT, QUAERITUR.

PARS PRIOR.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

RICARDUS ZIMMERMANN

SAXO-BORUSSUS

HALIS SAXONUM

FORMIS DESCRIPSIT E. KARRAS.

MDCCCLXXXIII.

G S 53, 235

HARVARD COLLEGE
AUG 19 1910
LIBRARY

Constantius fund
(I)

Cum hunc libellum publici iuris facio, praetermittere non possum, quin Johanni Neumann, viro doctissimo, gratias quam maximas agam pro benignitate eximia et consilio optimo, quibus uti mihi licuit in hac dissertatione conficienda.

I.

Cap. 1, §§ 1—6. Cas. 136—139.

§ 1.

Strabo postquam libro primo et secundo prolegomena ad totius terrae descriptionem exposuit, libro tertio ad Hispaniam primam Europae occidentalis partem depingendam transit: quod e totius operis institutione et ordine fieri prima paragrapho explicat.

§ 2.

Deinde par. altera qualisnam sit huius terrae fertilitas forma species breviter demonstratur. Vix quisquam existimabit, harum rerum notitiam ab uno quodam scriptore Strabonem petivisse. E contrario consentaneum est geographum ex iis, quae de Hispaniae aliis partibus apud alios auctores invenisset, ipsum animo sibi effinxisse imaginem totius terrae. Hoc autem recordari oportet, huic libro nihil inesse, quod ipse aspiciens cognoverit; quod elucet e II. c. 5, 11 C. 117: *ἐπήλθομεν δὲ ἐπὶ δύσιν μὲν ἀπὸ τῆς Ἀρμενίας μέχρι τῶν κατὰ Σαρδόνα τόπων τῆς Τυρρηνίας.*

§ 3.

De hac par., in qua verba fiunt de figura finibus situ ambitu Hispaniae, nunc quidem quaestionem non instituimus, quia quo ex fonte Strabo haec hauserit, latet neque prius aliqua ex parte perspici posse mihi videtur quam quaestio haec iam provecta sit. Transeamus igitur nunc ad

§§ 4—5

ubi de promunturio Sacro agitur. Ac primum quidem ea secernamus, quae Strabo ipse mutua sumpta esse indicat. In par.

quarta inde a verbis *αὐτὸ δὲ τὸ ἄκρον* seqq. Artemidori narratio refertur (Stiehle, Philol. 11 p. 201 fgr. 13). Deinde in par. quinta Posidonius laudatur, qui vulgi quasdam sententias refellit; quae pertinent usque ad verba *καὶ τηρήσας τὰς δύσεις* (Mueller fgr. h. III. p. 291 fgr. 97). Artemidorum quidem similia atque eos qui *οἱ πολλοὶ καὶ χυδαῖοι* dicuntur protulisse explicatur inde a verbis *ὁ δέ γε Ἀρτεμίδωρος* seqq. de quibus Strabo cum irrisione iudicat: *ὡς μὲν οὖν αὐτὸς εἶδεν* sqq. Itaque de initio tantum par. quartae nobis inquirendum est, ubi de Libyae et Europae adversus occasum extremis partibus haec exstant: *περατοῦται μὲν γὰρ . . . . προὔχει δὲ τὰ Ἰβηρικὰ ὅσον χιλίοις καὶ πεντακοσίοις σταδίοις κατὰ τὸ λεχθὲν ἀκρωτήριον.* Hispaniam mille quingentis stadiis trans Libyam adversus occidentem excedere [1]), Artemidorus auctor est: quod inde colligi potest, quod in libri XVII. c. 3, 2 C. 825 (Stiehle fgr. 76) haec exstant: *ἐντεῦθεν δὲ πρόπους ἔκκειταί τις ὕστατος πρὸς δύσιν τῆς Μαυρουσίας αἱ Κώτεις λεγόμεναι, πλησίον δὲ καὶ πολίχνιον μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης, ὅπερ Τρίγγα καλοῦσιν οἱ βάρβαροι, Λύγγα δ' ὁ Ἀρτεμίδωρος προσηγόρευκε, Ἐρατοσθένης δὲ Λίξον, κεῖται δ' ἀντίπορθμον τοῖς Γαδείροις.* Harum rerum notitiam soli Artemidoro Strabo debere videtur. Neque enim ex ea re, quod Eratosthenes quoque laudatur, eius descriptione hoc loco Strabonem usum esse sequitur. E contrario Eratosthenis sententiam item ex Artemidori libro cognovit: quod paulo infra apparet § 8, C. 829: *Ἀρτεμίδωρος δὲ Ἐρατοσθένει μὲν ἀντιλέγει διότι Λίξον τινά, φησιν πόλιν ἀντὶ Λυγγός.* Gades igitur et Lixum in eodem fere meridiano sitas esse Artemidorus tradidit. Spectemus deinde Strabonis verba III c. 2, 11 C. 148: *πρὸς ὃν (Ἐρατοσθένην) Ἀρτεμίδωρος ἀντιλέγων . . ψευδῶς λέγεσθαί φησιν . . τὸ ἀπὸ Γαδείρων ἐπὶ τὸ ἱερὸν ἀκρωτήριον διάστημα . ., οὐ πλειόνων ὄντων ἢ χιλίων καὶ ἑπτακοσίων σταδίων.* De situ vero promunturii Sacri haec comperimus II 5, 14 C. 119: *δυσμικώτατον μὲν γὰρ σημεῖον τῆς οἰκουμένης τὸ τῶν Ἰβήρων ἀκρωτήριον, ὃ καλοῦσιν*

[1]) Berger (Die Geogr. Fragment. des Eratosthen. S. 365) errore quodam ducitur, cum dicat: „Für die Länge des westlich über den Meridian der Säulen hervorragenden Teiles von Spanien nimmt Str. III C. 137 die Summe von 1500 Stadien an."

ἱερόν· κεῖται δὲ κατὰ τὴν γραμμήν πως τὴν διὰ Γαδείρων τε καὶ στηλῶν. Iam si secundum Artemidorum αἱ Κώτιες aliquantulo, promunturium Sacrum vero 1700 stadiis propius quam Gades sive Lixus ad solis occasum situm est, efficitur, etiam hanc mensuram esse Artemidori: προὔχει τὰ Ἰβηρικὰ ὅσον χιλίους καὶ πεντακοσίους σταδίους. De enuntiato quod sequitur, Schwederus (Beiträge zur Krit. der Chorogr. des Kaiser Aug. S. 72) dicit: Römischen Ursprung verraten nun auch andre Angaben: τὴν προσεχῆ τούτῳ χώραν τῇ Λατίνῃ φωνῇ seq.: quibuscum verbis comparat ille ad Romanam originem demonstrandam Melae lib. III. 1, 7: quod non debuit, quoniam aliter Melam aliter Strabonem loca quibus 'cuneus' nomen est, animo sibi finxisse elucet. Sed omnino non est, cur horum verborum originem aliunde tractam censeamus atque ex Artemidori geographicis, unde et antecedentia et sequentia sumpta sunt, praesertim cum apud Martian. Capellam (lib. VI 611 ed. Eyssenh.) legamus:[1]) 'Verum Artemidorus huic dimensioni (sc. terrae longitudini) adicit, quicquid a Gadibus procurrit. Nam per Sphenis frontem circuitu sacri promontorii ad aliud finale promontorium seqq.' Primum igitur videmus, etiam apud Artemidorum huius regionis mentionem factam esse, de qua Strabo dicit: Κούνεον, σφῆνα σημαίνειν βουλόμενοι. Deinde autem haec consideranda esse existimo: Constat, iam diu priusquam Romani eo pervenerunt, populos ibi fuisse, quorum nomina similiter sonabant ac posterius nomen huic regioni a Romanis inditum 'cuneus'. Cfr. Herodot. II, 33: οἱ δὲ Κελτοί εἰσι ἔξω Ἡρακλείων στηλέων, ὁμουρέουσι δὲ Κυνησίοισι οἳ ἔσχατοι πρός δυσμέων οἰκέουσι τῶν ἐν τῇ Εὐρώπῃ κατοικημένων. Avien. Ora marit. 201: inde Cempsis adiacent populi Cynetum App. Hisp. 57 Κούνεοι Strab. III 2, 2 C. 141 oppidum: Κονίστοργις. cett.[2]) Mihi quidem persuasum est, inter haec antiquiora nomina et recentius cunei nomen rationem quandam intercedere. Fieri potuit[3]), ut Romani forma illius regionis cuneo haud dissimili adducerentur, ut nomina illa similiter sonantia idem valere ac cuneum existimarent. Tum

[1]) Stiehle, Phil. 11 p. 199 adn. 8.

[2]) Omnia, quae ad hanc rem spectant, locupletissime contulit Müllenhoff (Deutsch. Altertumskunde I, S. 112 und 113).

[3]) Ukert (Alte Geogr. II, 1 p. 309 et 310).

autem apparet, graecam appellationem σφήν, quam Artemidorus adhibuit, oriri non potuisse nisi e latina voce 'cuneus' graece versa. Itaque nonne consentaneum est, Artemidorum, cum primum de hac regione diceret, haec fere verba fecisse: 'καὶ δὴ καὶ τὴν προσεχῆ τούτῳ χώραν τῇ Λατίνῃ φωνῇ καλοῦσι κούνεον, σφῆνα σημαίνειν βουλόμενοι'? Nam lingua latina eum aliqua ex parte doctum esse quam maxime probatur XIV, 1, 26 C. 642 Stiehle fgr. 127. Pro certo igitur habeo, Strabonem omnia quae in par. quarta profert, ab Artemidoro petivisse.

§ 6.

1. ἡ μεσοποταμία τοῦ Ἄνα καὶ τοῦ Τάγου.

Geographus expositione de promunturio sacro ad finem perducta ineunte par. sexta ad descriptionem terrae fluviis Ana et Tago interceptae transit. Perpauca, quae de hac regione profert, concluduntur verbis: αὕτη μὲν οὖν ἡ χώρα ἐστὶ μετρίως εὐδαίμων. Statim enim sequitur inde a verbis ἡ δ' ἐφεξῆς πρὸς ἕω seqq. copiosissima Turdetaniae descriptio, quae pertinet per totum caput secundum. Tertio deinceps capite iterum initium fit a promunturio Sacro atque prima et altera par. eadem fere regio depingitur atque loco de quo nunc dicimus. Iam primum quidem spectemus, quae utroque loco Strabo de eisdem rebus dicat: c. 1. § 6: φέρεται δ' ἀπὸ τῶν ἑῴων μερῶν ἑκάτερος, ἀλλ' ὁ μὲν ἐπ' εὐθείας εἰς τὴν ἑσπέραν ἐκδίδωσι πολὺ μείζων ὢν θατέρου, ὁ δὲ Ἄνας πρὸς νότον ἐπιστρέφει cfr. c. 3, 1 C. 152 ῥεῖ δ' (ὁ Τάγος) ἔχων τὰς ἀρχὰς ἐκ Κελτιβήρων διὰ Θερμωδόνων καὶ Καρπητανῶν καὶ Λυσιτανῶν ἐπὶ δύσιν ἰσημερινήν, μέχρι ποσοῦ παράλληλος ὢν τῷ τε Ἄνᾳ ταὶ τῷ Βαίτι, μετὰ δὲ ταῦτα ἀφιστάμενος ἐκείνων ἀποκλινόντων πρὸς τὴν νότιον παραλίαν. Deinde ea quae breviter dicuntur verbis c. 1. § 6: ἐν δὲ τοῖς ἄνω μέρεσι καὶ Καρπητανοὶ καὶ Ὠρητανοὶ καὶ Θερμωδόνων συχνοὶ νέμονται, copiosius et accuratius exstant in c. 3, 2. C. 152: οἱ δ' ὑπερκείμενοι seqq. Nihil autem in hac sexta par. invenimus de ora maritima huius regionis, quae c. 3, 1 depingitur. Hic contra incolarum mentio fit: ἣν Κελτικοὶ νέμονται τὸ πλέον . . ὑπὸ Ῥωμαίων: de qua re illic tacetur. Iam non est dubium, quin c. 3, 1. C. 151/52

periplus orae maritimae descriptioni subsit. Quid autem de hoc loco statuendum est? Num censeamus, de hac fluviis Ana et Tago intercepta regione geographum quendam separatim verba fecisse, sic ut hoc loco Strabo, eiusque chorographiam hic adhibitam esse? Minime. Apparet enim e descriptione quae sequitur, copiosas Straboni praesto fuisse expositiones et narrationes de Baetica vel Turdetania, quae Ana fluvio ab eo finitur, et de Lusitania, quam etsi recentiorem Romanorum divisionem Hispaniae cognovit (c. 4, 20. C. 166), tamen secundum priorum temporum auctores Tago adversus meridiem contineri statuit (c. 3, 3. C. 152). Ea autem regio, quae inter hos fluvios sita est, propria descriptione nimirum carebat, quoniam ne populus quidem clarior eam incolebat. A septentrione enim Lusitani invaserunt et ibi consederunt (c. 1, 6. *Λυσιτανοὶ μετοικισθέντες* c. 3, 5. C. 154), partes vero huius regionis ad orientem et meridiem vergentes Turdetaniae accensebantur (c. 2, 1 C. 141). Iam videmus Strabonem ipsum huius separationis auctorem esse eo consilio factae, ut tres certas partes in descriptione efficeret: 1. *Λυσιτανία* 2. *Μεσοποταμία τοῦ Ἄνα καὶ τοῦ Τάγου* 3. *ἡ Τουρδητανία*. Quod consilium valde laudabile inepte perfecit. Nam materiem quae de hac regione partim in periplo partim apud alios auctores ei praesto fuit, secundum hanc terrarum divisionem disponere et explicare nullo modo studuit. Oppida enim quae sunt in hac terra, Conistorgis et Paxaugusta commemorantur in Turdetaniae descriptione (c. 2, 15 C. 151, c. 2, 2 C. 141). Nec ora maritima vero, quae pertinet ab Anae ostio ad Tagum, uno tenore depingitur (c. 1, 9 C. 140, c. 3, 1 C. 151). Iam nusquam in sequente descriptione animadvertere vel sentire potes illam mesopotamiam proprie tractatam esse. Perpauca vero quae in hanc a se ipso institutam descriptionem e fontibus contulit, postea ubi in peripli cursu ad easdem regiones iterum accedit, plane denuo profert, quasi nondum eadem tractaverit: de fluviis Ana et Tago: c. 1, 6: *φέρεται δ' ἀπὸ . . . ἐπιστρέφων* cfr. c. 3, 1 C. 152 *ῥεῖ δ' ἔχων* cet., de incolis superiorum partium: c. 1, 6 *ἐν δὲ τοῖς ἄνω . . . νέμονται* cfr. c. 3, 2 C. 152: quos locos supra comparavimus.[1]) Unum est, quod Strabo hoc

[1]) De harum rerum origine nunc non quaerimus, quoniam postea eadem in peripli conexu occurrent.

loco solo commemorat: *ἣν Κελτικοὶ νέμονται τὸ πλέον καὶ τῶν Λυσιτανῶν τινες ἐκ τῆς περαίας τοῦ Τάγου μετοικισθέντες ὑπὸ Ῥωμαίων:* quod e Polybii narratione depromptum esse mihi videtur. De Celticis enim ille c. 2, 15 C. 151 laudatur: *τῇ δὲ τῆς χώρας εὐδαιμονίᾳ καὶ τὸ ἥμερον . . . συνηκολούθησε τοῖς Τουρδητανοῖς καὶ τοῖς Κελτικοῖς δὲ διὰ τὴν γειτνίασιν, ὡς δ' εἴρηκε Πολύβιος διὰ τὴν συγγένειαν.* De Lusitanis vero partim in oppositam Tagi ripam a Romanis translatis conferendi sunt nonnulli loci, ubi Strabo de rebus a Bruto Gallaeco gestis verba facit: c. 3, 1 C. 152: *ταύτῃ δὲ τῇ πόλει . . τῶν ἐπιτηδείων.* c. 3, 2 C. 152: *διὸ καὶ δυσμαχώτατοι . . ἐπωνυμίαν.* c. 3, 4 C. 153 extr. *τῆς μὲν οὖν Βρούτου στρατείας . . οὗτος.* c. 3, 5 C. 154: *εὐδαίμονος δὲ τῆς . .* usque ad finem paragr. Quos locos ea de causa sub unum conspectum redegi, quia apparet et omnes ad illam Bruti Gallaeci expeditionem spectare et nullum indidem petitum esse, unde chorographia, cui insertus sit. Nam luce clarius est ea quae c. 3, 1, 152 exstant (*ταύτῃ δὲ τῇ πόλει* seqq.), e libro quodam, qui de bello cum Lusitanis gesto scriptus erat, excerpta esse, neque concinere cum peripli ratione describendi, quae est in proximis verbis. Item res se habet c. 3, 2 C. 152 (*διὸ καὶ...*) et c. 3, 4 C. 153 (*τῆς μὲν οὖν Βρούτου...*) Ultimo autem quem attulimus loco c. 3, 5 C. 154 de calamitate agitur, qua affecta est Lusitania bellis diuturnis. Quae cum ita sint, aptissimum videtur, una hos locos tractare ad communem eorum autorem investigandum. Hic autem mea quidem sententia Polybius est, quem de his rebus rettulisse consentaneum est in libro de bello Numantino scripto. Nam illa bella eodem fere tempore gesta sunt, atque Numantinorum motus ex his Lusitanorum bellis ortus est (App. Hisp. 76). Strabonis vero de his rebus narrationes a Polybio petitas esse e loco ultimo, quem attuli, (c. 3, 5 C. 154) elucere mihi videtur: quibus verbis ea continentur, quae Strabo in universum de Lusitaniae statu habituque profert. Strabo vero eum depingit statum, in quem haec terra bellis latrociniisque diuturnis delapsa est, atque priorum temporum res Lusitaniae florentissimas indicat. Iam hanc genuinam eius felicitatem copiose Polybius exposuit (ed. Hultsch XXXIV 8, 4 p. 1306.) Quam ob rem, cum consentaneum sit,

hunc scriptorem in bello Numantino describendo recordatum, quae antea dixisset, Lusitaniae res mutatas significasse, ei potissimum tribuam hanc de Lusitania expositionem, quae neque ad priora neque ad Strabonis ipsius tempora quadrat (c. 3, 8. C. 156 *ἀλλὰ νῦν πέπανται πολεμοῦντα πάντα*). Redeamus nunc, unde digressi sumus, ad verba c. 1, 6 *ἣν Κελτικοὶ νέμονται τὸ πλέον καὶ τῶν Λυσιτανῶν τινες μετοικισθέντες ὑπὸ Ῥωμαίων:* quae cum aperte respondeant verbis c. 3, 5 C. 154: *ἐνίας δὲ καὶ συνοικίζοντες βέλτιον,* eandem atque illa produnt originem, quam esse ex Polybii descriptione repetendam probare conatus sum. Post hanc incolarum mentionem de tota regione dicit Strabo: *αὕτη μὲν οὖν ἡ χώρα ἐστὶ μετρίως εὐδαίμων:* quae verba Strabonis ipsius ingenio deberi mihi videntur eo consilio addita, ut ad sequentia transeatur.

2. De Baeticae nominibus incolis finibus.

Iam incipit Turdetaniae descriptio, cuius divitem cultum et ubertatem Strabo item atque ceteri summopere laudat. In sequente parte paragr. h. Artemidoro et Polybio usus est. Ac primum quidem ea, quae de fluviis Baeti Ana Tago dicuntur, Artemidoro deberi apparebit e c. 3, 1 C. 152 (*ῥεῖ δ' ἔχων τὰς ἀρχὰς . .*), ubi de fluviis eadem fere exstare iam commemoravimus: illic enim explicatur orae maritimae descriptio, quam ex Artemidori periplo haustam me demonstraturum esse spero. Deinde de nomine huius terrae dicit: *καλοῦσι δ' ἀπὸ μὲν τοῦ ποταμοῦ Βαιτικήν, ἀπὸ δὲ τῶν ἐνοικούντων Τουρδητανίαν.* Polybius quidem quod sciamus non usus est nomine Baeticae. Quod vero apud Artemidorum hoc nomen non occurrit, inde sane non sequitur, revera apud eum id non fuisse, cum perpauca eius fragmenta servata sint. Sed quoniam apud Stephanum s. v. *Τουρδητανία* primum accurate refertur, quae nomina Strabo huic terrae dederit, et subsequuntur verba: *Ἀρτεμίδωρος δὲ Τουρτυτανίαν αὐτὴν καλεῖ καὶ Τούρτους τοὺς οἰκήτορας καὶ Τουρτυνανούς*, equidem non dubitaverim, quin nullum aliud nomen Artemidorus adhibuerit. Praeterea etiam Cato ap. Charis. II p. 190 hanc terram Turtam vocat. Quibus rebus verisimile fit, Baeticam esse recentiorem appellationem, cuius notitiam Strabonem certo cuidam auctori non

debere consentaneum est. Tum incolas dicit nominari *Τουρδητανοὺς* et *Τουρδούλους*, quos esse eosdem alii dicant alii negent: in quibus etiam Polybium esse. Suo autem tempore omnino nullum discrimen apparere. Valde dolendum est, quod ea, quae apud Stephanum s. v. *Τουρδητανία* ex Artemidori periplo de hac re afferuntur, nimis ambigua sunt, quam ut per se appareat, utrum Artemidorus populos illos distinxerit necne. Siquidem Stephanum s. v. *Ἀψυρτίδες* spectamus: *οἱ νησιῶται Ἀψυρτεῖς καὶ Ἄψυρτοι*, fortasse ex hoc Stephani usu dicendi colligi potest, etiam hoc loco formas modo nominum diversas intelligendas esse. Tum certe, si res ita est, videmus, ad Artemidorum spectare haec verba: *οἱ μὲν τοὺς αὐτοὺς νομίζοντες*. Sed fateor pro certo de hac re iudicare me non posse. Utique, adicit Strabo, diversitatem[1]) suo tempore non apparere: quod ab hominibus ibi versatis comperisse videtur. In sequentibus iam verbis Turdulorum eruditio atque doctrina, quae ceteros Hispaniae incolas longe superet, laudibus effertur. Haec a Polybio Strabonem didicisse mihi probatur loco qui exstat c. 2, 15 C. 151 *Τῇ δὲ τῆς χώρας εὐδαιμονίᾳ καὶ τὸ ἥμερον καὶ τὸ πολιτικὸν συνηκολούθησε τοῖς Τουρδητανοῖς . . ὡς δ' εἴρηκε Πολύβιος . .* Bene enim convenit, quod iis, qui vitam civilem agere dicuntur, *νόμοι ἔμμετροι* et *συγγράμματα τῆς παλαιᾶς μνήμης* tribuuntur. Sed aperte etiam Artemidoro h. l. usus est, quem videmus ap. Steph. s. v. *Ἰβηρίαι* de literaturae usu apud Hispaniae incolas haec proferre: *γραμματικῇ δὲ χρῶνται τῇ τῶν Ἰταλῶν οἱ παρὰ θάλατταν οἰκοῦντες τῶν Ἰβήρων*: quibus verbis respondent ea, quae deinceps apud Strabonem sequuntur: *καὶ οἱ ἄλλοι Ἴβηρες χρῶνται γραμματικῇ, οὐ μιᾷ δ' ἰδέᾳ· οὐδὲ γὰρ γλώττῃ μιᾷ.*

In extrema denique parte h. par. fines Turdetaniae designantur: *τείνει δ' ἡ χώρα κτλ.*: quae verba per se nullius sunt pretii, cum h. l. geographus quae apud auctorem exstent, excerpat, deinde c. 2, 1, C. 141 ea integra proferat: quod primo obtutu intellegitur, cum verba hic et illic scripta comparas: *τεί-*

---

[1]) Brevi commemorare h. l. mihi liceat Sieglinum (diss. Lips. 1878 p. 25) in libro quem de tempore Sagunti expugnationis scripsit, minus recte dicere . . Turdetaner, ein nördlicher Stamm von ihnen Turduli.

νει δὲ ἡ χώρα αὕτη ἡ ἐντὸς τοῦ Ἄνα = c. 2, 1: *ἀφορίζει δὲ αὐτὴν πρὸς μὲν τὴν ἑσπέραν καὶ ἄρκτον ὁ Ἄνας ποταμός* c. 1, 6: *πρὸς ἕω μὲν μέχρι τῆς Ὠρητανίας* = c. 2, 1: *πρὸς δὲ τὴν ἕω Καρπητανῶν τέ τινες καὶ Ὠρητανοί* c. 1, 6: *πρὸς νότον δὲ μέχρι τῆς παραλίας τῆς ἀπὸ τῶν ἐκβολῶν τοῦ Ἄνα μέχρι στηλῶν* = c. 2, 1: *πρὸς νότον δὲ Βαστητανῶν οἱ μεταξὺ τῆς Κάλπης καὶ τῶν Γαδείρων στενὴν νεμόμενοι παραλίαν, καὶ ἡ ἐξῆς θάλαττα μέχρι Ἄνα . καὶ οἱ Βαστητανοὶ δὲ οὓς εἶπον τῇ Τουρδητανίᾳ πρόσκεινται . .* Quaerentibus nobis, quaenam sit causa huius neglegentiae et quam ob rem Strabo bis Turdetaniae descriptionem a finium designatione incipiat, id respiciendum est, quod iam per totam h. par. observavimus. Strabonem enim vidimus in hac p. non unum imprimis auctorem sequi, sed ad descriptionis institutionem a se ipso factam alia aliunde petere. Simul autem apparuit, quam non Strabo in hac quidem parte studuisset vel potuisset, suum rerum depingendarum ordinem tenere et quae apud alios auctores aliis locis invenisset, ex suo consilio disponere. Sic primum quidem in h. p. libere ac suo iudicio testimoniis scriptorum uti conatur. Deinde vero gradatim auctores secutus eadem, quae iam excerpta protulit, iterum magis ad verbum reddit. Jam in sequentibus paragraphis orae maritimae descriptio exstat, cui periplum quendam subesse perspicuum erit. Strabo enim, quamquam Turdetaniae oram descripturus est, non subsistit in Anae ostio, qui huius terrae finis est, sed continuat descriptionem usque ad promunturium Sacrum (c. 1, 9, C. 140 extr.) Is quidem, qui non terras mediterraneas primario loco describendas sibi proponit, sicut Strabo in h. par. instituit, sed periplum imprimis scribit, rectissime a Calpe usque ad promunturium Sacrum uno cursu tendit et tunc addit quaenam terra supra hanc orae partem sita sit: quod idem faciens Strabo peripli autorem omni parte secutus plane obliviscitur, se eadem iam in alia rerum dispositione tractasse. Quae cum ita sint, hanc extremam par. sextae partem peripli auctori deberi elucet, quem esse Artemidorum probare conabor. Haec fere habui, quae de sextae par. fontibus dicerem: in quorum indagatione etsi longus fui tamen fortasse non inutiliter quaestionem extendi, cum in hac parte optime qua ratione Strabo fontibus utatur, cognosci possit.

Omnia autem, quae in h. p. proferuntur, e Polybii et Artemidori scriptis petita sunt.

II.

De ora maritima Hispaniae.

c. 1, 7—9, C. 140. c. 3, 1—5, C. 151—153. c. 4, 1—9, C. 156—160.

Geographus noster c. 1, 7 ad accuratiorem Turdetaniae descriptionem transit ac primum quidem oram maritimam huius terrae depingit c. 1, 7—9. Commemoravimus iam, orae maritimae descriptionem a Strabone peripli auctorem quendam secuto partibus mediterraneis non subici, sed e contrario primarium tenere locum. Eadem ratio per totam Hispaniae descriptionem observatur. Quattuor enim sunt termini, qui totius orae cursum flexumque constituunt c. 1, 3, C. 137: *καὶ δὴ τὸ μὲν ἑῷον κτλ.*: Galliae Hispaniaeque in Pyrenaeo monte confinia sive Pompei tropaea, Herculis columnae, promunturium Sacrum, promunturium Artabrum. Item quattuor exstant peripli partes, quae hoc ordine describuntur: primum ora maritima, quae est a Calpe monte ad prom. Sacrum, c. 1, 7—9 depingitur, deinde de ea, quae pertinet inde usque ad finale promunturium quod Artabrum vocatur, agitur c. 3, 1—5, C. 151 seqq. usque ad verba § 5 ineunt: *ἡ καὶ τῆς ἑσπερίου πλευρᾶς καὶ τῆς βορείου πέρας ἐστί.*, ets in hac quidem parte non ita integram ubique describendi rationem invenimus quae in periplis adhibetur. Tum maris interni oram Strabo depingit c. 4, 1—9, C. 156—160. De quarta denique orae maritimae parte a promunturio Artabro usque ad Pyrenaei montis fines septentrionales accuratiora non profert. Quoniam igitur ora maritima suam habet expositionem, haud ineptum esse videbitur, una et conjunctim de auctoribus, quibus in hac descriptionis parte Strabo usus sit, inquirere, praesertim cum suspicari et animadvertere liceat, unum quendam periplum per totam oram primarium esse descriptionis fontem. Quaestionem vero sic instituimus, ut primum quidem in parte aliqua descriptionis periplum continuum aperire et restituere conemur omnibus remotis quae aliunde petita et addita esse cognoscamus, simulque

harum rerum origines ostendentes, deinde hac parte detecta monstremus quis peripli auctor sit, tum hac notitia instructi ad reliquam orae maritimae descriptionem perlustrandam accedamus. Ea autem, quae de orae sive totius Hispaniae mensuris aliunde ad hunc periplum adiciuntur, in praesentia quidem seiungenda modo sunt, quia quosnam autores in Hispania dimetienda Strabo adhibuerit, item propriam et unam esse quaestionem apparebit.

A.

Exordiamur igitur a. c. 1, 7, C. 139.

§ 7.

Periplus a monte Calpe incipiens tendit ad oppidum Carteiam. Postremum deinde huius par. enuntiatum (*ἔνιοι δὲ καὶ*) originem aliunde atque ea quae antecedunt, trahere Strabo ipse indicat. Deinde in

§ 8.

post oppidum Mellariam Belonem navigantes advenimus. Hinc inquit, maxime Tingin Mauretaniae traicitur. Iam sequuntur verba: *ἦν δὲ καὶ Ζῆλις τῆς Τίγγιος ἀστυγείτων, ἀλλὰ μετῳκισαν ταύτην ἐς τὴν περαίαν Ῥωμαῖοι καὶ ὠνόμασαν Ἰουλίαν Ἴοζαν.* Facile intellegitur, his verbis tenorem peripli interrumpi, cum in eo oppidum quod vocatur Julia Joza sic commemorari oporteret, ut eluceret inter quae loca vel oppida illud situm esset: quod e Strabonis verbis non apparet. Deinde vero cum nulla dubitatio sit, quin hoc oppidum idem sit atque Transducta Ptolemaei (II 4, 6) quae inter Carteiam et Mellariam sita est, eo magis apparet, haec verba in periplum iniecta esse, quoniam descriptio iam ad Belonem fluvium provecta aliquantum resilit. Quid autem fuit causae, cur Strabo mirum in modum, quasi Mauretaniam describeret, per occasionem tantum oppidi Zelis de hac Hispaniae urbe verba faceret? Equidem censeo, in periplo haec verba fuisse: *ἐντεῦθεν οἱ διάπλοι μάλιστά εἰσιν εἰς Τίγγιν καὶ Ζῆλιν τῆς Μαυρουσίας:* quae verba Strabo sic reddere non potuit quia compertum habuit, oppidum Zelin in Mauretania iam non esse, sed nomine Juliae Jozae in oppositam ripam translatum. Qua re factum est, ut Strabo per

commemorem oppida. Tum de hac re nonnulla proferret. Deinde ad insulam Gades pervenimus. In periplo de hac insula nihil certum esse nisi hoc: διέχουσι τῆς Κάλπης περὶ πεντακοσίους καὶ πεντήκοντα σταδίους, e verbis sequentibus concludi potest: ἔστι δ' [illegible] τῶν ἄλλων [illegible]. Loquitur enim periplus eum, quae infra de hac insula commemoratione digna habet atque copiose explicat compluribus auctoribus usus. Verba autem: οἱ δὲ πεντακοσίους φασίν originem aliunde tractam aperte ostendunt, de qua secundum institutionem huius quaestionis nunc non disserendum est. Sequuntur deinde in

§ 9.

Menesthei portus et aestuaria ad Astam et Nabrissam. Utrum etiam ea verba, quibus vox ἀναχύσεις explicatur, periplo tribuenda sint necne, dubitari potest. Brevitas quidem horum verborum valde in rationem peripli quadrat. Sed c. 2, 4 C. 142/43 Strabo iterum et multo copiosius de natura aestuariorum explicationem aperte e Posidonii libro, qui περὶ Ὠκεανοῦ scriptus erat, petitam profert neque negari potest, haec verba explicationis causa ab ipso addita esse. Sequitur insula Baetis ostiis intercepta, de cuius longitudine iterum alium quendam auctorem adhibuit: ὡς δ' ἔνιοι καὶ πλειόνων σταδίων. Tum inde a verbis ἐνταῦθα δέ που καὶ τὸ μαντεῖον κτλ. de Menesthei oraculo et Caepionis turri dicitur. Haec e periplo illo fluxisse nego. Ratio enim verborum ἐνταῦθα δέ που καὶ, quibus haec narratio annectitur, ostendere mihi videtur, in peripli cursu nihil de his rebus dictum esse, sed aliunde haec petita: qua sententia explicatur, cur geographus noster pro certa loci definitione ambiguis verbis ἐνταῦθα δέ που καὶ . . . utatur. Ad quem vero scriptorem haec verba revocanda sint, equidem pro certo dicere nequeo. Hoc certe firmo argumento prorsus caret, quod Schwederus (Beiträge zur Kritik der Chorogr. des Kais. Aug. p. 72) asseverat, verba illa aperte Romano auctori accepta referri. Nam per se etiam a Polybio vel Artemidoro vel Posidonio traditae esse possunt illae res. Equidem haec Posidonio potissimum tribuam quem in libro de oceano scripto complura de Hispaniae ora dixisse videmus e c. 3, 3, C. 153.: quod, nisi cui hoc nimis artificiosum videtur, etiam inde quo-

dammodo concludere licet: quod verba haec: *ἐπὶ πέτρας ἀμφικλύστου θαυμασίως κατεσκευασμένος ὥσπες ὁ Φάρος* cum reliqua hujus partis dictione comparata colorem magis rhetoricum habent Posidonio proprium, ut Strabo ait c. 2, 9, C. 147. *Ποσειδώνιος . . . οὐκ ἀπέχεται τῆς συνήθους ῥητορείας.*[1]) Iam pergit periplus a verbis *ἐντεῦθεν δ' ὁ τοῦ Βαίτιος ἀνάπλους ἐστὶ*, quae apte cohaerent cum proxima peripli parte: *ἡ δ' ἀπολαμβανομένη νῆσος . . ἀφορίζει παραλίαν.* Subsistit vero in verbis: *τὸ ἱερὸν ἀκρωτήριον διέχον τῶν Γαδείρων ἐλάττους ἢ δισχιλίους σταδίους.* Postremi tum enunciati, quo de intervallis agitur, iterum aliam originem esse nemo non videt.

Iam priusquam de hujus peripli auctore quaestionem instituamus, porro in orae maritimae usque ad promunturium Nerium pertinentis descriptione cum persequi conemur. Pergit ille in

c. 3, § 1, C. 150.

Verba usque ad *καὶ αἱ Τάγου ἐκβολαὶ πλησίον* sana sunt justeque periplum continuant. De sequentibus autem verbis usque ad *εἴ που Λακκαῖα* (Meineke) omitto quaestionem, quod omnia quae viri docti ad locum hunc emendandum protulerunt, nimis incertam habent fidem. Sed utut res se habet, hoc elucere mihi videtur, inde a verbis *ἐνταῦθα δὲ καὶ ἀναχύσεις* a Strabone nonnulla ex alio fonte periplo inserta esse. Is enim dilucide progressus est usque ad Tagi ostium, ubi subsistit orae maritimae descriptio. Itaque quae in periplo sequuntur, de nulla alia re dici possunt, nisi de Tago ipso et de iis quae in Tagi anaplo occurrunt. Iam de eis quidem astuariis, quae in Tagi ripis cum mare effluit fiunt, in verbis sequentibus agitur: *δύο δ' ἀναχύσεις ἐν τοῖς ὑπερ κειμένοις πεδίοις . .* Ea igitur aestuaria, quorum unum quoddam verbis dubiae fidei (*πύγου*) accuratius definitur, ubinam esse censeamus nisi in ea orae parte, quae est ante Tagi ostium? quae res cum peripli ordinem pervertat, originem aliunde tractam ostendit. Sequentia deinde a verbis *ὁ δὲ Τάγος καὶ τὸ πλάτος* iterum iusta peripli ratione procedunt usque ad verba *καὶ ὑπὲρ τὸν Μόρωνα δ' ἔτι μακρύ-*

[1]) Scheppig: De Posidonio diss. Hal. 1869 p. 44.

τερος ἀνάπλους ἐστί. Quae tum de rebus a Bruto Gallaeco gestis adiciuntur Polybio deberi jam dictum est. Post Tagi anapli descriptionem copia piscium et ostreorum laudatur. Denique de fonte et cursu ejus agitur: quae e periplo sumpta esse, probari mihi videtur ratione qua ceteri fluvii in orae maritimae descriptione commemorantur. Comparandi sunt hi loci: c. 3, 1, C. 152. ῥεῖ δ' (ὁ Τάγος) ἔχων τὰς ἀρχὰς ἐκ Κελτιβήρων . . ἐπὶ δύσιν ἰσημερινὴν μέχρι ποσοῦ παράλληλος ὢν τῷ τε Ἄνᾳ καὶ τῷ Βαίτι κτλ.

c. 3, 4, C. 153. ἡ δ' οὖν χώρα . . διαρρεῖται ποταμοῖς μεγάλοις τε καὶ μικροῖς, ἅπασιν . . παραλλήλοις τῷ Τάγῳ.

c. 3, 4, C. 153 extr. περαιτέρω δ' εἰσὶν ἄλλοι ποταμοὶ παράλληλοι τοῖς λεχθεῖσιν.

c. 4, 6, C. 158 extr. ῥεῖ δ' (ὁ Σούκρων) ἐκ τοῦ συνεχοῦς ὄρους . . παράλληλος δέ πως τῷ Ἴβηρι.

c. 4, 6, C. 159 ῥεῖ δ' ὁ Ἴβηρ ἀπὸ Καντάβρων ἔχων τὰς ἀρχὰς . . διὰ πολλοῦ πεδίου· παράλληλος τοῖς Πυρηναίοις ὄρεσιν.

Videmus omnium horum fluminum cursum ita definiri et significari, ut dicatur, cuinam quisque fluvius fluvio vel monti parallelus sit: unde jure concludi posse mihi videtur, uni cuidam autori haec tribuenda esse atque quoniam in orae maritimae descriptione ea a Strabone proferuntur et omnino proferri debent, nescio, cui scriptori majore probabilitate ea reddamus quam peripli auctori. Quae cum ita sint, nunc quidem ea quoque non injuria eodem me reduxisse puto, quae de fluviis Baeti Ana Tago in c. 1, 6, C. 139 convenienter hujus par. verbis dicta sunt. Iam ut nunc

§ 2.

praetereamus, qua populi mediterranea tenentes enumerantur, in

§ 3.

ad Lusitaniae descriptionem accedimus. Consentaneum est, in periplo sicut antea (c. 2, 1, C. 141) in Turdetaniae ora describenda totius terrae fines accurate definiti sunt, hic Lusitaniae fines explicatos esse. Certo autem argumento infra demum demonstrabo, hanc Lusitaniae finium descriptionem e periplo fluxisse. In sequentibus verbis de Lusitaniae ambitu agitur, de qua re in alio rerum conexu disserere mihi proposui. In fine

hujus par. iterum nonnulla e Posidonii libro de oceano scripto proferuntur. Deinde in

§ 4.

periplum qui adhuc in Tagi ostio substitit continuari animadvertimus inde a verbis *γνωριμώτατοι δὲ τῶν ποταμῶν ἐφεξῆς τῷ Τάγῳ* . . Duo nomina *ὅν τινες Λιμαίαν* et *οἱ δὲ Μινιόν φασιν* ad appellationes a peripli auctore traditas aliunde adiciuntur: de quibus postea videbimus. Deinde Posidonii sententia de Baenis fonte refertur. Neque dubito[1]) quin etiam sequentia usque ad *ἐπιπολάζειν ἐν τοῖς πεδίοις* eidem debeantur, quoniam in libro de oceano scripto aptissime haec exponuntur. Tum Strabo postquam de Bruti expeditione usque eo progressa breviter dixit, pergit: *περαιτέρω δ' εἰσὶν ἄλλοι ποταμοὶ παράλληλοι τοῖς λεχθεῖσιν.* Verisimile est, in periplo hoc paulo accuratius expositum esse. Concedo in hac parte non ita firma esse peripli vestigia atque a Posidonio magna ex parte descriptionem petitam esse. Attamen si consideramus ubique anaplos commemorari: *ἔχουσι δὲ καὶ ἀνάπλους οἱ πλείους . . . Μούνδας ἀνάπλους ἔχων μικρούς . . . Οὐάκονα ὡσαύτως . . . Δούριος μεγάλοις ἀναπλεόμενος σκάφεσιν . . . Βαῖνις ἐπ' ὀκτακοσίους ἀναπλεόμενος σταδίους* negari non potest, oram maritimam primario loco de pingi. A. Posidonio vero imprimis descriptionem non petitam esse, apparet ex eo quod hujus sententia de Baenis ostio diserte opponitur antecedentibus verbis, quae arte inter se cohaerent: *Δούριος ῥέων παρὰ Κελτιβήρων καὶ Οὐακκαίων κατοικίας . . . καὶ οὗτος δ' ἐκ Κελτιβήρων καὶ Οὐακκαίων ῥεῖ καὶ ὁ μετ' αὐτὸν Βαῖνις.* Itaque peripli scriptorem etiam hic esse primarium Strabonis auctorem censeo. Iam statim insequitur in § 5. peripli finis: *ὕστατοι δ' οἰκοῦσιν Ἄρταβροι περὶ τὴν ἄκραν ἣ καλεῖται Νέριον, ἣ καὶ τῆς ἑσπερίου πλευρᾶς καὶ τῆς βορείου πέρας ἐστί.*

Accedit vero alia res, quam maximi momenti esse existimo. Perlustravimus enim periplum qui a Calpe incipiens usque ad Artabrum promunturium provectus est: qua cum descriptione etiam naediterraneorum populorum, qui post gentes orae maritimae adjacentes habitant, pressa enumeratio conjuncta esse mihi

[1]) Muellerum sequor (fgr. h. gr. III. p. 295. fgr. 98).

videtur. Specto illa verba, quae apud Strabonem Lusitaniae descriptionem proxime antecedunt:

c. 3, 2 C. 152.

οἱ δὲ ὑπερκείμενοι τῶν λεχθέντων ὀρῶν (codd.) *κτλ.* Cum enim pauca illa verba, quae Strabo de rebus a Gallaecis et Bruto cognomine Gallacco gestis inserit: *διὸ καὶ δυσμαχώτατοι . . . . παρεσκεύασαν.*, secernimus, brevissimam habemus enumerationem omnium gentium, quae in interiore Hispania ad occasum vergente ab australi ora usque ad oceanum septentrionalem alicujus momenti sunt. Suo jure viri docti gravissime in his verbis offenderunt. Ac primum quidem nemo intelligit, quinam sint illi „dicti montes". Frustra enim quaeras in descriptione quae antecedit, montium quorundam mentionem, nisi forte hoc loco spectentur illi montes, quos Strabo commemoravit c. 2, 3 C. 142.: *παράλληλοι δέ τινες ῥάχεις ὀρῶν παρατείνουσι τῷ ποταμῷ* (sc. *Βαίτι*) . . . *πλήρεις* et *ὑπέρκειται δὲ καὶ τούτου μεταλλείας ἔχοντα ὄρη . . . Τάγον.* Atque hos montes revera intelligendos esse censuit Casaubonus (Strab. ed Siebenkees et Tzschucke Tom VII. p. 652 sive ed. Almelov. I. p. 227) atque nuper cum illo fecit C. Muellerus (Str. ed. Muell. p. 955 ad p. 126, 22.) Sed etiamsi cum Groskurdio (observatt. critic. in Strabon. Iberiam p. 111) verba de quibus disputamus, errore quodam in hunc locum translata esse, principio autem proxime post illa verba: *ὑπέρκειται δὲ καὶ τούτου* (c. 2, 3, C. 142) fuisse existimemus, ne tum quidem satis liquet haec mira gentium enumeratio. Neque enim consentaneum neque aptum est, omnes populos, qui tenent mediterranea inde ab ora maris interni usque ad oram septentrionalem, in Turdetaniae descriptione post montium a Baeti usque ad Tagum pertinentium commemorationem quasi per occasionem commemorare, neque omnino recte dicitur gentes has trans montes illos habitare. Equidem trans quos montes Hispaniae has gentes habitare dicere liceat, prorsus ignoro. Quam ob rem Brequignyi conjectura *ποταμῶν* omissa Meinekio assentior, qui pro *ὀρῶν* scribi vult *μερῶν* („Vindic. Strabon. liber" p. 26). Sed apparet hac emendatione totam rem nondum difficultate omni liberatam esse. Nam jure offensioni fuit Groskurdio, quod Strabo, postquam oram

maritimam usque ad Tagum descripsit, interiorum regionum populos nullo facto transitu breviter tangit, tumque iterum ad Tagi ostium resiliens Lusitaniae descriptionem subjungit. Iam nos quidem, cum in Strabonis orae maritimae descriptione periplum continuum invenerimus, facile intelligimus, quid haec verba sibi velint et unde orta sint. Ut enim jam diximus, in periplo post orae descriptionem eodem dicendi genere et colore secuta esse videtur enumeratio populorum, qui in hoc ad occasum vergente latere Hispaniae mediterranea tenent et idcirco recte dieuntur *οἱ ὑπερκείμενοι τῶν λεχθέντων μερῶν*. Atque luce clarius est, post Lusitaniae descriptionem demum apte hos populos enumerari, quia tum post totius a Calpe usque ad Nerium promontorium pertinentis orae descriptionem jure uno tenore de omnibus populis interiora tenentibus dicitur. Sed si quid video, jam peripli auctor justum expositionis ordinem pervertit neque temere hoc fecit. Apparet enim in Lusitaniae finium descriptione magnam partem horum populorum enumerandam esse et revera enumerari (c. 3, 3, C. 152). Iam sentimus valde languidum esse, postquam hi populi in Lusitania determinanda secundario loco jam enumerati sint, tum demum de iis ipsis denuo et primario loco verba facere. Deinde vero recordari oportet, Strabonem bis descriptione eodem provecta hos populos mediterranea tenentes enumerare. Vidimus enim etiam in c. 1, 6 ineunt. C. 139, ubi eadem fere regio depingitur atque hoc loco (c. 3, 1) mentionem fieri gentium interiorum: *ἐν δὲ τοῖς ἄνω μέρεσι κτλ.* Quaenam sit differentia inter hos locos, jam demonstravimus. Illic Strabo nova atque propria ratione descriptionem instituens excerpsit tantum ea quae de interioribus populis in periplo fuerunt, terrae Tago et Ana interceptae rationem habens. Hic peripli institutionem tenens cum eodem pervenerit, iterum harum gentium enumerationem eamque pleniorem profert: Quas res mihi perpendenti probatur, peripli auctorem hanc gentium enumerationem eodem descriptionis loco atque Strabonem inseruisse. Adicere mihi liceat fidem Meinekii conjecturae *οἱ δὲ ὑπερκείμενοι τῶν λεχθέντων μερῶν* valde augeri ea re quod Strabo priore loco, qui huic respondet, dicit *ἐν δὲ τοῖς ἄνω μέρεσιν* (c. 1, 6). Simul autem nunc elucet ea quae Strabo de Lusitaniae finibus dixit, ab eodem auctore repetita esse atque hanc populorum

debere consentaneum est. Tum incolas dicit nominari *Τουρδητανοὺς* et *Τουρδούλους*, quos esse eosdem alii dicant alii negent: in quibus etiam Polybium esse. Suo autem tempore omnino nullum discrimen apparere. Valde dolendum est, quod ea, quae apud Stephanum s. v. *Τουρδητανία* ex Artemidori periplo de hac re afferuntur, nimis ambigua sunt, quam ut per se appareat, utrum Artemidorus populos illos distinxerit necne. Siquidem Stephanum s. v. *Ἀψυρτίδες* spectamus: *οἱ νησιῶται Ἀψυρτεῖς καὶ Ἄψυρτοι*, fortasse ex hoc Stephani usu dicendi colligi potest, etiam hoc loco formas modo nominum diversas intelligendas esse. Tum certe, si res ita est, videmus, ad Artemidorum spectare haec verba: *οἱ μὲν τοὺς αὐτοὺς νομίζοντες*. Sed fateor pro certo de hac re iudicare me non posse. Utique, adicit Strabo, diversitatem[1]) suo tempore non apparere: quod ab hominibus ibi versatis comperisse videtur. In sequentibus iam verbis Turdulorum eruditio atque doctrina, quae ceteros Hispaniae incolas longe superet, laudibus effertur. Haec a Polybio Strabonem didicisse mihi probatur loco qui exstat c. 2, 15 C. 151 *Τῇ δὲ τῆς χώρας εὐδαιμονίᾳ καὶ τὸ ἥμερον καὶ τὸ πολιτικὸν συνηκολούθησε τοῖς Τουρδητανοῖς . . ὡς δ' εἴρηκε Πολύβιος . .* Bene enim convenit, quod iis, qui vitam civilem agere dicuntur, *νόμοι ἔμμετροι* et *συγγράμματα τῆς παλαιᾶς μνήμης* tribuuntur. Sed aperte etiam Artemidoro h. l. usus est, quem videmus ap. Steph. s. v. *Ἰβηρίαι* de literaturae usu apud Hispaniae incolas haec proferre: *γραμματικῇ δὲ χρῶνται τῇ τῶν Ἰταλῶν οἱ παρὰ θάλατταν οἰκοῦντες τῶν Ἰβήρων*: quibus verbis respondent ea, quae deinceps apud Strabonem sequuntur: *καὶ οἱ ἄλλοι Ἴβηρες χρῶνται γραμματικῇ, οὐ μιᾷ δ' ἰδέᾳ· οὐδὲ γὰρ γλώττῃ μιᾷ.*

In extrema denique parte h. par. fines Turdetaniae designantur: *τείνει δ' ἡ χώρα κτλ.*: quae verba per se nullius sunt pretii, cum h. l. geographus quae apud auctorem exstent, excerpat, deinde c. 2, 1, C. 141 ea integra proferat: quod primo obtutu intellegitur, cum verba hic et illic scripta comparas: *τεί-*

[1]) Brevi commemorare h. l. mihi liceat Sieglinum (diss. Lips. 1878 p. 25) in libro quem de tempore Sagunti expugnationis scripsit, minus recte dicere . . Turdetaner- [illegible] ihnen Turduli.

νει δὲ ἡ χώρα αὕτη ἡ ἐντὸς τοῦ Ἄνα = c. 2, 1: *ἀφορίζει δὲ αὐτὴν πρὸς μὲν τὴν ἑσπέραν καὶ ἄρκτον ὁ Ἄνας ποταμός* c. 1, 6: *πρὸς ἕω μὲν μέχρι τῆς Ὠρητανίας* = c. 2, 1: *πρὸς δὲ τὴν ἕω Καρπητανῶν τέ τινες καὶ Ὠρητανοί* c. 1, 6: *πρὸς νότον δὲ μέχρι τῆς παραλίας τῆς ἀπὸ τῶν ἐκβολῶν τοῦ Ἄνα μέχρι στηλῶν* = c. 2, 1: *πρὸς νότον δὲ Βαστητανῶν οἱ μεταξὺ τῆς Κάλπης καὶ τῶν Γαδείρων στενὴν νεμόμενοι παραλίαν, καὶ ἡ ἐξῆς θάλαττα μέχρι Ἄνα . καὶ οἱ Βαστητανοὶ δὲ οὓς εἶπον τῇ Τουρδητανίᾳ πρόσκεινται . .* Quaerentibus nobis, quaenam sit causa huius neglegentiae et quam ob rem Strabo bis Turdetaniae descriptionem a finium designatione incipiat, id respiciendum est, quod iam per totam h. par. observavimus. Strabonem enim vidimus in hac p. non unum imprimis auctorem sequi, sed ad descriptionis institutionem a se ipso factam alia aliunde petere. Simul autem apparuit, quam non Strabo in hac quidem parte studuisset vel potuisset, suum rerum depingendarum ordinem tenere et quae apud alios auctores aliis locis invenisset, ex suo consilio disponere. Sic primum quidem in h. p. libere ac suo iudicio testimoniis scriptorum uti conatur. Deinde vero gradatim auctores secutus eadem, quae iam excerpta protulit, iterum magis ad verbum reddit. Jam in sequentibus paragraphis orae maritimae descriptio exstat, cui periplum quendam subesse perspicuum erit. Strabo enim, quamquam Turdetaniae oram descripturus est, non subsistit in Anae ostio, qui huius terrae finis est, sed continuat descriptionem usque ad promunturium Sacrum (c. 1, 9, C. 140 extr.) Is quidem, qui non terras mediterraneas primario loco describendas sibi proponit, sicut Strabo in h. par. instituit, sed periplum imprimis scribit, rectissime a Calpe usque ad promunturium Sacrum uno cursu tendit et tunc addit quaenam terra supra hanc orae partem sita sit: quod idem faciens Strabo peripli autorem omni parte secutus plane obliviscitur, se eadem iam in alia rerum dispositione tractasse. Quae cum ita sint, hanc extremam par. sextae partem peripli auctori deberi elucet, quem esse Artemidorum probare conabor. Haec fere habui, quae de sextae par. fontibus dicerem: in quorum indagatione etsi longus fui tamen fortasse non inutiliter quaestionem extendi, cum in hac parte optime qua ratione Strabo fontibus utatur, cognosci possit.

Omnia autem, quae in h. p. proferuntur, e Polybii et Artemidori scriptis petita sunt.

II.

De ora maritima Hispaniae.

c. 1, 7—9, C. 140. c. 3, 1—5, C. 151—153. c. 4, 1—9, C. 156—160.

Geographus noster c. 1, 7 ad accuratiorem Turdetaniae descriptionem transit ac primum quidem oram maritimam huius terrae depingit c. 1, 7—9. Commemoravimus iam, orae maritimae descriptionem a Strabone peripli auctorem quendam secuto partibus mediterraneis non subici, sed e contrario primarium tenere locum. Eadem ratio per totam Hispaniae descriptionem observatur. Quattuor enim sunt termini, qui totius orae cursum flexumque constituunt c. 1, 3, C. 137: *καὶ δὴ τὸ μὲν ἑῷον κτλ.*: Galliae Hispaniaeque in Pyrenaeo monte confinia sive Pompei tropaea, Herculis columnae, promunturium Sacrum, promunturium Artabrum. Item quattuor exstant peripli partes, quae hoc ordine describuntur: primum ora maritima, quae est a Calpe monte ad prom. Sacrum, c. 1, 7—9 depingitur, deinde de ea, quae pertinet inde usque ad finale promunturium quod Artabrum vocatur, agitur c. 3, 1—5, C. 151 seqq. usque ad verba § 5 ineunt: *ἡ καὶ τῆς ἑσπερίου πλευρᾶς καὶ τῆς βορείου πέρας ἐστί.*, ets in hac quidem parte non ita integram ubique describendi rationem invenimus quae in periplis adhibetur. Tum maris interni oram Strabo depingit c. 4, 1—9, C. 156—160. De quarta denique orae maritimae parte a promunturio Artabro usque ad Pyrenaei montis fines septentrionales accuratiora non profert. Quoniam igitur ora maritima suam habet expositionem, haud ineptum esse videbitur, una et conjunctim de auctoribus, quibus in hac descriptionis parte Strabo usus sit, inquirere, praesertim cum suspicari et animadvertere liceat, unum quendam periplum per totam oram primarium esse descriptionis fontem. Quaestionem vero sic instituimus, ut primum quidem in parte aliqua descriptionis periplum continuum aperire et restituere conemur omnibus remotis quae aliunde natit- -t addita esse cognoscamus, simulque

harum rerum origines ostendentes, deinde hac parte detecta monstremus quis peripli auctor sit, tum hac notitia instructi ad reliquam orae maritimae descriptionem perlustrandam accedamus. Ea autem, quae de orae sive totius Hispaniae mensuris aliunde ad hunc periplum adiciuntur, in praesentia quidem seiungenda modo sunt, quia quosnam autores in Hispania dimetienda Strabo adhibuerit, item propriam et unam esse quaestionem apparebit.

A.

Exordiamur igitur a. c. 1, 7, C. 139.

§ 7.

Periplus a monte Calpe incipiens tendit ad oppidum Carteiam. Postremum deinde huius par. enuntiatum (ἔνιοι δὲ καὶ) originem aliunde atque ea quae antecedunt, trahere Strabo ipse indicat. Deinde in

§ 8.

post oppidum Mellariam Belonem navigantes advenimus. Hinc inquit, maxime Tingin Mauretaniae traicitur. Iam sequuntur verba: *ἦν δὲ καὶ Ζῆλις τῆς Τίγγιος ἀστυγείτων, ἀλλὰ μετῳκισαν ταύτην ἐς τὴν περαίαν Ῥωμαῖοι καὶ ὠνόμασαν Ἰουλίαν Ἴοζαν.* Facile intellegitur, his verbis tenorem peripli interrumpi, cum in eo oppidum quod vocatur Julia Joza sic commemorari oporteret, ut eluceret inter quae loca vel oppida illud situm esset: quod e Strabonis verbis non apparet. Deinde vero cum nulla dubitatio sit, quin hoc oppidum idem sit atque Transducta Ptolemaei (II 4, 6) quae inter Carteiam et Mellariam sita est, eo magis apparet, haec verba in periplum iniecta esse, quoniam descriptio iam ad Belonem fluvium provecta aliquantum resilit. Quid autem fuit causae, cur Strabo mirum in modum, quasi Mauretaniam describeret, per occasionem tantum oppidi Zelis de hac Hispaniae urbe verba faceret? Equidem censeo, in periplo haec verba fuisse: *ἐντεῦθεν οἱ διάπλοι μάλιστά εἰσιν εἰς Τίγγιν καὶ Ζῆλιν τῆς Μαυρουσίας:* quae verba Strabo sic reddere non potuit quia compertum habuit, oppidum Zelin in Mauretania iam non esse, sed nomine Juliae Jozae in oppositam ripam translatum. Qua re factum est, ut Strabo per

occasionem oppidi Zelis de hac re nonnulla proferret. Deinde ad insulam Gades pervenimus. In periplo de hac insula nihil dictum esse nisi hoc: *διέχουσα τῆς Κάλπης περὶ ἑπτακοσίους καὶ πεντήκοντα σταδίους* e verbis sequentibus concludi potest: *ἔστι δ' αὕτη ἡ νῆσος τἆλλα μὲν οὐδὲν διαφέρουσα τῶν ἄλλων κτλ.* Revera enim permulta sunt, quae infra de hac insula commemoratione digna habet atque copiose explicat compluribus auctoribus usus. Verba autem: *οἱ δὲ ὀκτακοσίους φασίν* originem aliunde tractam aperte ostendunt, de qua secundum institutionem huius quaestionis nunc non disserendum est. Sequuntur deinde in

§ 9.

Menesthei portus et aestuaria ad Astam et Nabrissam. Utrum etiam ea verba, quibus vox *ἀνάχυσις* explicatur, periplo tribuenda sint necne, dubitari potest. Brevitas quidem horum verborum valde in rationem peripli quadrat. Sed c. 2, 4 C. 142/43 Strabo iterum et multo copiosius de natura aestuariorum explicationem aperte e Posidonii libro, qui *περὶ Ὠκεανοῦ* scriptus erat, petitam profert neque negari potest, haec verba explicationis causa ab ipso addita esse. Sequitur insula Baetis ostiis intercepta, de cuius longitudine iterum alium quendam auctorem adhibuit: *ὡς δ' ἔνιοι καὶ πλειόνων σταδίων*. Tum inde a verbis *ἐνταῦθα δέ που καὶ τὸ μαντεῖον κτλ.* de Menesthei oraculo et Caepionis turri dicitur. Haec e periplo illo fluxisse nego. Ratio enim verborum *ἐνταῦθα δέ που καὶ*, quibus haec narratio annectitur, ostendere mihi videtur, in peripli cursu nihil de his rebus dictum esse, sed aliunde haec petita: qua sententia explicatur, cur geographus noster pro certa loci definitione ambiguis verbis *ἐνταῦθα δέ που καὶ . . .* utatur. Ad quem vero scriptorem haec verba revocanda sint, equidem pro certo dicere nequeo. Hoc certe firmo argumento prorsus caret, quod Schwederus (Beiträge zur Kritik der Chorogr. des Kais. Aug. p. 72) asseverat, verba illa aperte Romano auctori accepta referri. Nam per se etiam a Polybio vel Artemidoro vel Posidonio traditae esse possunt illae res. Equidem haec Posidonio potissimum tribuam quem in libro de oceano scripto complura de Hispaniae ora dixisse videmus e c. 3, 3, C. 153.: quod, nisi cui hoc nimis artificiosum videtur, etiam inde quo-

dammodo concludere licet: quod verba haec: *ἐπὶ πέτρας ἀμφικλύστου θαυμασίως κατεσκευασμένος ὥσπες ὁ Φάρος* cum reliqua hujus partis dictione comparata colorem magis rhetoricum habent Posidonio proprium, ut Strabo ait c. 2, 9, C. 147. *Ποσειδώνιος . . . οὐκ ἀπέχεται τῆς συνήθους ῥητορείας.*[1]) Iam pergit periplus a verbis *ἐντεῦθεν δ' ὁ τοῦ Βαίτιος ἀνάπλους ἐστὶ*, quae apte cohaerent cum proxima peripli parte: *ἡ δ' ἀπολαμβανομένη νῆσος . . ἀφορίζει παραλίαν.* Subsistit vero in verbis: *τὸ ἱερὸν ἀκρωτήριον διέχον τῶν Γαδείρων ἐλάττους ἢ δισχιλίους σταδίους.* Postremi tum enunciati, quo de intervallis agitur, iterum aliam originem esse nemo non videt.

Iam priusquam de hujus peripli auctore quaestionem instituamus, porro in orae maritimae usque ad promunturium Nerium pertinentis descriptione cum persequi conemur. Pergit ille in

c. 3, § 1, C. 150.

Verba usque ad *καὶ αἱ Τάγου ἐκβολαὶ πλησίον* sana sunt justeque periplum continuant. De sequentibus autem verbis usque ad *εἴ που Λακκαῖα* (Meineke) omitto quaestionem, quod omnia quae viri docti ad locum hunc emendandum protulerunt, nimis incertam habent fidem. Sed utut res se habet, hoc elucere mihi videtur, inde a verbis *ἐνταῦθα δὲ καὶ ἀναχύσεις* a Strabone nonnulla ex alio fonte periplo inserta esse. Is enim dilucide progressus est usque ad Tagi ostium, ubi subsistit orae maritimae descriptio. Itaque quae in periplo sequuntur, de nulla alia re dici possunt, nisi de Tago ipso et de iis quae in Tagi anaplo occurrunt. Iam de eis quidem astuariis, quae in Tagi ripis cum mare effluit fiunt, in verbis sequentibus agitur: *δύο δ' ἀναχύσεις ἐν τοῖς ὑπερ κειμένοις πεδίοις . .* Ea igitur aestuaria, quorum unum quoddam verbis dubiae fidei (*πύργου*) accuratius definitur, ubinam esse censeamus nisi in ea orae parte, quae est ante Tagi ostium? quae res cum peripli ordinem pervertat, originem aliunde tractam ostendit. Sequentia deinde a verbis *ὁ δὲ Τάγος καὶ τὸ πλάτος* iterum iusta peripli ratione procedunt usque ad verba *καὶ ὑπὲρ τὸν Μόρωνα δ' ἔτι μακρύ-*

[1]) Scheppig: De Posidonio diss. Hal. 1869 p. 44.

τερος ἀνάπλους ἐστί. Quae tum de rebus a Bruto Gallaeco gestis adiciuntur Polybio deberi jam dictum est. Post Tagi anapli descriptionem copia piscium et ostreorum laudatur. Denique de fonte et cursu ejus agitur: quae e periplo sumpta esse, probari mihi videtur ratione qua ceteri fluvii in orae maritimae descriptione commemorantur. Comparandi sunt hi loci: c. 3, 1, C. 152. ῥεῖ δ' (ὁ Τάγος) ἔχων τὰς ἀρχὰς ἐκ Κελτιβήρων . . ἐπὶ δύσιν ἰσημερινὴν μέχρι ποσοῦ παράλληλος ὢν τῷ τε Ἄνᾳ καὶ τῷ Βαίτι κτλ.

c. 3, 4, C. 153. ἡ δ' οὖν χώρα . . διαρρεῖται ποταμοῖς μεγάλοις τε καὶ μικροῖς, ἅπασιν . . παραλλήλοις τῷ Τάγῳ.

c. 3, 4, C. 153 extr. περαιτέρω δ' εἰσὶν ἄλλοι ποταμοὶ παράλληλοι τοῖς λεχθεῖσιν.

c. 4, 6, C. 158 extr. ῥεῖ δ' (ὁ Σούκρων) ἐκ τοῦ συνεχοῦς ὄρους . . παράλληλος δέ πως τῷ Ἴβηρι.

c. 4, 6, C. 159 ῥεῖ δ' ὁ Ἴβηρ ἀπὸ Καντάβρων ἔχων τὰς ἀρχὰς . . διὰ πολλοῦ πεδίου· παράλληλος τοῖς Πυρηναίοις ὄρεσιν.

Videmus omnium horum fluminum cursum ita definiri et significari, ut dicatur, cuinam quisque fluvius fluvio vel monti parallelus sit: unde jure concludi posse mihi videtur, uni cuidam autori haec tribuenda esse atque quoniam in orae maritimae descriptione ea a Strabone proferuntur et omnino proferri debent, nescio, cui scriptori majore probabilitate ea reddamus quam peripli auctori. Quae cum ita sint, nunc quidem ea quoque non injuria eodem me reduxisse puto, quae de fluviis Baeti Ana Tago in c. 1, 6, C. 139 convenienter hujus par. verbis dicta sunt. Iam ut nunc

§ 2.

praetereamus, qua populi mediterranea tenentes enumerantur, in

§ 3.

ad Lusitaniae descriptionem accedimus. Consentaneum est, in periplo sicut antea (c. 2, 1, C. 141) in Turdetaniae ora describenda totius terrae fines accurate definiti sunt, hic Lusitaniae fines explicatos esse. Certo autem argumento infra demum demonstrabo, hanc Lusitaniae finium descriptionem e periplo fluxisse. In sequentibus verbis de Lusitaniae ambitu agitur, de qua re in alio rerum conexu disserere mihi proposui. In fine

hujus par. iterum nonnulla e Posidonii libro de oceano scripto proferuntur. Deinde in

§ 4.

periplum qui adhuc in Tagi ostio substitit continuari animadvertimus inde a verbis *γνωριμώτατοι δὲ τῶν ποταμῶν ἐφεξῆς τῷ Τάγῳ* . . Duo nomina *ὅν τινες Λιμαίαν* et *οἱ δὲ Μινιόν φασιν* ad appellationes a peripli auctore traditas aliunde adiciuntur: de quibus postea videbimus. Deinde Posidonii sententia de Baenis fonte refertur. Neque dubito[1]) quin etiam sequentia usque ad *ἐπιπολάζειν ἐν τοῖς πεδίοις* eidem debeantur, quoniam in libro de oceano scripto aptissime haec exponuntur. Tum Strabo postquam de Bruti expeditione usque eo progressa breviter dixit, pergit: *περαιτέρω δ' εἰσὶν ἄλλοι ποταμοὶ παράλληλοι τοῖς λεχθεῖσιν.* Verisimile est, in periplo hoc paulo accuratius expositum esse. Concedo in hac parte non ita firma esse peripli vestigia atque a Posidonio magna ex parte descriptionem petitam esse. Attamen si consideramus ubique anaplos commemorari: *ἔχουσι δὲ καὶ ἀνάπλους οἱ πλείους . . . Μούνδας ἀνάπλους ἔχων μικρούς . . . Οὐάκονα ὡσαύτως . . . Δούριος μεγάλοις ἀναπλεόμενος σκάφεσιν . . . Βαῖνις ἐπ' ὀκτακοσίους ἀναπλεόμενος σταδίους* negari non potest, oram maritimam primario loco de pingi. A. Posidonio vero imprimis descriptionem non petitam esse, apparet ex eo quod hujus sententia de Baenis ostio diserte opponitur antecedentibus verbis, quae arte inter se cohaerent: *Δούριος ῥέων παρὰ Κελτιβήρων καὶ Οὐακκαίων κατοικίας . . . καὶ οὗτος δ' ἐκ Κελτιβήρων καὶ Οὐακκαίων ῥεῖ καὶ ὁ μετ' αὐτὸν Βαῖνις.* Itaque peripli scriptorem etiam hic esse primarium Strabonis auctorem censeo. Iam statim insequitur in § 5. peripli finis: *ὕστατοι δ' οἰκοῦσιν Ἄρταβροι περὶ τὴν ἄκραν ἣ καλεῖται Νέριον, ἣ καὶ τῆς ἑσπερίου πλευρᾶς καὶ τῆς βορείου πέρας ἐστί.*

Accedit vero alia res, quam maximi momenti esse existimo. Perlustravimus enim periplum qui a Calpe incipiens usque ad Artabrum promunturium provectus est: qua cum descriptione etiam naediterraneorum populorum, qui post gentes orae maritimae adjacentes habitant, pressa enumeratio conjuncta esse mihi

[1]) Muellerum sequor (fgr. h. gr. III. p. 295. fgr. 98).

videtur. Specto illa verba, quae apud Strabonem Lusitaniae descriptionem proxime antecedunt:

c. 3, 2 C. 152.

οἱ δὲ ὑπερκείμενοι τῶν λεχθέντων ὀρῶν (codd.) κτλ. Cum enim pauca illa verba, quae Strabo de rebus a Gallaecis et Bruto cognomine Gallaeco gestis inserit: διὸ καὶ δυσμαχώτατοι . . . . παρεσκεύασαν., secernimus, brevissimam habemus enumerationem omnium gentium, quae in interiore Hispania ad occasum vergente ab australi ora usque ad oceanum septentrionalem alicujus momenti sunt. Suo jure viri docti gravissime in his verbis offenderunt. Ac primum quidem nemo intelligit, quinam sint illi „dicti montes". Frustra enim quaeras in descriptione quae antecedit, montium quorundam mentionem, nisi forte hoc loco spectentur illi montes, quos Strabo commemoravit c. 2, 3 C. 142.: παράλληλοι δέ τινες ῥάχεις ὀρῶν παρατείνουσι τῷ ποταμῷ (sc. Βαίτι) . . . πλήρεις et ὑπέρκειται δὲ καὶ τούτου μεταλλείας ἔχοντα ὄρη . . . Τάγον. Atque hos montes revera intelligendos esse censuit Casaubonus (Strab. ed Siebenkees et Tzschucke Tom VII. p. 652 sive ed. Almelov. I. p. 227) atque nuper cum illo fecit C. Muellerus (Str. ed. Muell. p. 955 ad p. 126, 22.) Sed etiamsi cum Groskurdio (observatt. critic. in Strabon. Iberiam p. 111) verba de quibus disputamus, errore quodam in hunc locum translata esse, principio autem proxime post illa verba: ὑπέρκειται δὲ καὶ τούτου (c. 2, 3, C. 142) fuisse existimemus, ne tum quidem satis liquet haec mira gentium enumeratio. Neque enim consentaneum neque aptum est, omnes populos, qui tenent mediterranea inde ab ora maris interni usque ad oram septentrionalem, in Turdetaniae descriptione post montium a Baeti usque ad Tagum pertinentium commemorationem quasi per occasionem commemorare, neque omnino recte dicitur gentes has trans montes illos habitare. Equidem trans quos montes Hispaniae has gentes habitare dicere liceat, prorsus ignoro. Quam ob rem Brequignyi conjectura ποταμῶν omissa Meinekio assentior, qui pro ὀρῶν scribi vult μερῶν („Vindic. Strabon. liber" p. 26). Sed apparet hac emendatione totam rem nondum difficultate omni liberatam esse. Nam jure offensioni fuit Groskurdio, quod Strabo, postquam oram

maritimam usque ad Tagum descripsit, interiorum regionum populos nullo facto transitu breviter tangit, tumque iterum ad Tagi ostium resiliens Lusitaniae descriptionem subjungit. Iam nos quidem, cum in Strabonis orae maritimae descriptione periplum continuum invenerimus, facile intelligimus, quid haec verba sibi velint et unde orta sint. Ut enim jam diximus, in periplo post orae descriptionem eodem dicendi genere et colore secuta esse videtur enumeratio populorum, qui in hoc ad occasum vergente latere Hispaniae mediterranea tenent et idcirco recte dicuntur *οἱ ὑπερκείμενοι τῶν λεχθέντων μερῶν*. Atque luce clarius est, post Lusitaniae descriptionem demum apte hos populos enumerari, quia tum post totius a Calpe usque ad Nerium promontorium pertinentis orae descriptionem jure uno tenore de omnibus populis interiora tenentibus dicitur. Sed si quid video, jam peripli auctor justum expositionis ordinem pervertit neque temere hoc fecit. Apparet enim in Lusitaniae finium descriptione magnam partem horum populorum enumerandam esse et revera enumerari (c. 3, 3, C. 152). Iam sentimus valde languidum esse, postquam hi populi in Lusitania determinanda secundario loco jam enumerati sint, tum demum de iis ipsis denuo et primario loco verba facere. Deinde vero recordari oportet, Strabonem bis descriptione eodem provecta hos populos mediterranea tenentes enumerare. Vidimus enim etiam in c. 1, 6 ineunt. C. 139, ubi eadem fere regio depingitur atque hoc loco (c. 3, 1) mentionem fieri gentium interiorum: *ἐν δὲ τοῖς ἄνω μέρεσι κτλ.* Quaenam sit differentia inter hos locos, jam demonstravimus. Illic Strabo nova atque propria ratione descriptionem instituens excerpsit tantum ea quae de interioribus populis in periplo fuerunt, terrae Tago et Ana interceptae rationem habens. Hic peripli institutionem tenens cum eodem pervenerit, iterum harum gentium enumerationem eamque pleniorem profert: Quas res mihi perpendenti probatur, peripli auctorem hanc gentium enumerationem eodem descriptionis loco atque Strabonem inseruisse. Adicere mihi liceat fidem Meinekii conjecturae *οἱ δὲ ὑπερκείμενοι τῶν λεχθέντων μερῶν* valde augeri ea re quod Strabo priore loco, qui huic respondet, dicit *ἐν δὲ τοῖς ἄνω μέρεσιν* (c. 1, 6). Simul autem nunc elucet ea quae Strabo de Lusitaniae finibus dixit, ab eodem auctore repetita esse atque hanc populorum

enumerationem, cum in par. tertia hujus cap. (Cas. 152) idem ordo harum gentium iterum occurrat: *τὸ δ' ἑωθινὸν οἵ τε Καρπητανοὶ καὶ οἱ Οὐέττωνες καὶ Οὐακκαῖοι καὶ Καλλαικοί* = § 2.: *Καρπητανοὶ δὲ . . . εἶτα Οὐέττωνες καὶ Οὐακκαῖοι . . Καλλαικοὶ δ' ὕστατοι:* quare hanc Lusitaniae determinationem e periplo petitam esse mihi videor supra jure asseverasse.

B.

Sequitur, ut exquiramus, quisnam illius peripli auctor sit: quod nunc quidem, postquam per totam orae occidentalis descriptionem ejus vestigia persecuti sumus, satis firmis argumentis fieri potest. Atque hunc esse Artemidorum Ephesium vix cuiquam praeter opinionem dicetur. Haec autem sunt, quibus Artemidorum auctorem esse certo demonstretur. Ac primum quidem spectemus verba, quae exstant in c. 1, 8 C. 140.: *ἦν δὲ καὶ Ζῆλις τῆς Τίγγιος ἀστυγείτων κτλ.* In priore hujus quaestionis parte causas jam attuli, cur existimare oporteat, in periplo haec fere fuisse: *ἐντεῦθεν οἱ διάπλοι μάλιστά εἰσιν εἰς Τίγγιν καὶ Ζῆλιν τῆς Μαυρουσίας.* Iam si apud Strabonem Mauretaniae descriptionem inspicimus, haec invenimus de illis oppidis: lib. XVII c. 3, 6 C. 827: *εἰς δὲ τὴν ἐντὸς θάλατταν πλέουσιν ἀπὸ Λυγγὸς πόλις ἐστὶ Ζῆλις καὶ Τίγγις* (codd. *Τίγα*). Videmus Strabonem hoc loco nihil dicere de Zeli oppido in oppositam ripam translato: quod variis de causis factum esse potest. Certo hoc apparet, auctorem, quo in Mauretaniae ora describenda geographus noster usus est, idem de Zeli oppido in Mauretania integro tradidisse atque peripli Hispaniae scriptorem. Iam in initio peripli orae Maurae Artemidorus laudatur (c. 3, 2, C. 825) et in ipsa sexta par. (C. 827 extr.) aliquid inest, quod Artemidorum harum rerum esse autorem probet: . . . . *καὶ τὸ ὑπερκείμενον ὄρος ὄνομα Ἀβίλη . . . . καὶ Μεταγώνιον τόπος ἄνυδρος καὶ λυπρός* . . . cfr. III., 5, 5, C. 170 *Ἀρτεμίδωρος δὲ τὴν μὲν τῆς Ἥρας νῆσον καὶ ἱερὸν λέγει αὐτῆς, ἄλλην δ' οὔ φησιν εἶναί τινα, οὐ δ' Ἀβίλυκα ὄρος οὐδὲ Μεταγώνιον ἔθνος:* quae Artemidorus dixit contra Eratosthenis sententiam in proximis verbis expositam: *ἔνιοι δὲ στήλας ὑπέλαβον τὴν Κάλπην καὶ τὴν Ἀβίλυκα, ὅ φησιν Ἐρατοσθένης ἐν τῷ Μεταγωνίῳ, Νομαδικῷ ἔθνει, ἱδρῦσθαι.*

Nunc e XVII 3, 6 C. 827 videmus, quid causae sit, cur Artemidorus vituperet Eratosthenem dicentem III, 5, 5 *Μεταγώνιον ἔθνος* et *Ἀβίλυκα ὄρος*. Neque enim plane negat Artemidorus locutus *οὐδ' Ἀβίλυκα ὄρος οὐδὲ Μεταγώνιον ἔθνος*, exstare quoddam Metagonium et montem quendam, quem *Ἀβίλυκα* Eratosthenes nominet. Sed in eo offendit ille, quod et *Μεταγώνιον* esse *ἔθνος* Eratosthenes dicat nesciens illud esse *τόπον ἄνυδρον καὶ λυπρόν* et nomen proferat *Ἀβίλυκα* pro vero *Ἀβίλη*. Quae Artemidori censura in Eratosthenem facta de nominibus *Ἀβίλη* et *Ἀβίλυξ* non minus est pusilla quam quod vituperat ille Eratosthenem propter urbis appellationem *Λίξος* pro *Λύγξ*: XVII. 3, 2 C. 825 et 3, 8 C. 829. Artemidorus igitur, ut redeamus ad rem propositam, tradidit Zelim et Tingim in Mauretania vicina oppida esse: quod idem in periplo dictum esse demonstravimus. Traductionem autem illius Mauretaniae oppidi, quam Strabo III. 1, 8 C. 140 intelligit, ante Augusti imperium factam non esse, demonstrant verba Plinii (Nat. hist. V. 1, 1.) quamvis corrupta et confusa: quae res item ad Artemidorum peripli auctorem quadrat. Deinde in extrema[1]) jam parte peripli spectemus verba: *εἶτ' ἄλλοι ποταμοί· καὶ μετὰ τούτους ὁ τῆς Λήθης, ὃν τινες Λιμαίαν, οἱ δὲ Βελιῶνα καλοῦσι*. Verba *ὃν τινες Λιμαίαν* inter periplum interposita esse, supra dictum est. Conferamus nunc quae Stephanus s. v. *Βελιτανοί* profert: *οἱ αὐτοὶ τοῖς Λυσιτανοῖς, ὡς Ἀρτεμίδωρος ἐν τρίτῳ γεωγραφουμένων*. De cujus loci fide dubitat Ukertus (Alte Geogr. II, 1. p. 322 adn. 87) sed quo jure dubitet non perspexi. Iam cum nomen fluvii *Βελιών* per Lusitaniam fluentis non inveniatur nisi hoc Strabonis loco neque Belitani usquam ab scriptore ullo praeter Artemidorum eidem atque Lusitani esse dicantur, probabile videtur, nomen *Βελιών* indidem unde *Βελιτανοί* sumptum esse. Denique apertum Artemidori vestigium in conspectu illo mediterranearum gentium exstat: c. 3, 2 C. 152.: *τῆς μὲν οὖν Ὠρητανίας κρατιστεύουσα πόλις ἐστὶ Καστουλὼν καὶ Ὠρία* cfr. Steph. s. v. *Καστάλων· μεγίστη πόλις Ὠρητανίας ὡς Ἀρτεμίδωρος τρίτῳ γεωγραφουμένων* et s. v. *Ὠρισία . . . Ἀρτεμίδωρος ἐν δευτέρῳ γεωγραφουμένων „ἀμφότεροι γάρ“*

[1]) c. 3,4 C 153.

φησι „. . . πρῶτον μὲν Ὠρητανοί, πόλεις δ' ἐν αὐτοῖς εἰσι μεγάλαι Ὀρσία καὶ Καστάλων." Accuratius quidem postea de his locis disputaturus sum. Nunc Artemidorum illo loco Strabonis esse auctorem, quod jam notum erat, commemorasse sufficit. Restat, ut respondeam, si quis obiciat, ipsum Artemidori enuntiatum ad verbum exscriptum exstare, quod cum peripli verbis non satis congruat. Occurrunt enim in c. 2, 11, C. 148 haec: πρὸς ὃν (sc. Ἐρατοσθένην) Ἀρτεμίδωρος ἀντιλέγων καὶ ταῦτα ψευδῶς λέγεσθαί φησιν ὑπ' αὐτοῦ, καθάπερ καὶ τὸ ἀπὸ Γαδείρων ἐπὶ τὸ ἱερὸν ἀκρωτήριον διάστημα ἀπέχειν ἡμερῶν πέντε πλοῦν, οὐ πλειόνων ὄντων ἢ χιλίων καὶ ἑπτακοσίων σταδίων cfr. peripl. c. 1, 9 C. 140 extr. εἶθ' ὕστατον τὸ ἱερὸν ἀκρωτήριον, διέχον τῶν Γαδείρων ἐλάττους ἢ δισχιλίους σταδίους. Sed mihi quidem valde verisimile est in periplo pro incertis verbis ἐλάττους ἢ δισχιλίους certum quendam numerum scriptum esse, quem Strabo minus definite reddidit. Causa non latet. Cum enim apud eos, qui τισὲς vocantur alii intervallorum numeri exstarent, (τινὲς δ' ἀπὸ μὲν τοῦ Ἱεροῦ κτλ.) ipse numerum plane certum non prodidit, sed ita ut ad utriusque auctoris numerum suus quantum fieri posset accommodaretur. Nam summa singulorum intervallorum, quae illi τινὲς produnt, efficit 1840 stadia, Artemidori vero spatium continet 1700 stadia. Ex utroque igitur numero sequitur, promunturium Sacrum a Gadibus distare ἐλάττους ἢ δισχιλίους σταδίους. Quae cum ita sint non existimaverim, illum locum obstare nostrae sententiae, Artemidorum esse peripli auctorem.

C.
De ora maris interni.

Nunc jam investigandum mihi proposui, quibus subsidiis Strabo in ora australi depingenda usus sit, atque num in hac quoque ora, quae est inde a Calpe usque ad Pyrenaeos montes et Hispaniae cum Gallia confinium, idem periplus continuetur. Atque nunc quidem quoniam auctorem ejus esse Artemidorum probavimus, quaestio haec ita instituenda videtur esse, ut quae in orae descriptione Strabonem ex Artemidoro petivisse demonstrare possimus, ea in periplo illo fuisse existimemus, et vicissim

ea, quae peripli hujus partem esse appareat, Artemidoro tribuamus. Neque enim e veterum auctorum scriptis discimus, Artemidorum praeter periplum, qui nominatur, libros geographicos scripsisse (v. Stiehle Philol. B. 11.) neque omnino est, quod has quidem terras diversis libris ab Artemidoro tractatas esse censeamus. Explicatur vero descriptio hujus orae

cap. 1. C. 156, §§ 1—9.

§ 1.

Ac de prima quidem par. nunc nobis non est dicendum, quia Strabo in hac par. continuam hujus orae dimensurationem profert eamque aliunde atque ex periplo petitam: quod facile intelligitur. Apparet enim verba inde a *φασὶ δὲ ἀπὸ μὲν Κάλπης* uno quodam e fonte deprompta esse, qui et ipse peripli speciem habet. Sed alium esse hunc, alium illum periplum, quem in priore descriptionis parte invenimus, intelligemus si recordabimur, quam accurate ibi singula commemorata sint. Praeterea in sequente apparebit descriptione, ubi illico Artemidori periplum iterum reperiemus, nonnulla cum periplo sive stadiasmo pugnare. Omisi adhuc afferre verba *καὶ τῶν Πομπηίου ἀναθημάτων*, quae quin in stadiasmo illo ipsa fuerint dubitare non licet: qua re sola Artemidorus auctor removetur. Itaque secundum hujus quaestionis institutionem nunc quidem haec omittentes transimus ad

§ 2.

ubi ad singula describenda Strabo accedit. Ac primum quidem spectemus verba: *ῥάχις ἐστὶν ὀρεινὴ τῆς Βαστητανίας καὶ τῶν Ὠρητανῶν . . . διορίζουσα τὴν παραλίαν ἀπὸ τῆς μεσογαίας*. Quibus cum conferamus quae ap. Steph. exstant s. v. *Ὠρισία . . Ἀρτεμίδωρος ἐν δευτέρῳ γεωγραφουμένων „ἀμφότεροι γὰρ“ φησὶ „κατοικοῦσι τὴν παραλίαν καί τινα τῆς μεσογείου, πρῶτον μὲν Ὠρητανοί . .* Iam Ukertus (II., p. 410 Adn. 29) dicit de hoc Stephani loco, alteram e duabus gentibus, quas verbis *ἀμφότεροι* Artemidorus significet, esse Bastetanos: quod e Strabonis descriptione sequi. Mihi quidem persuasum est, enuntiatum, quod ante verba *ἀμφότεροι γὰρ* exstabat, quodque apud Stephanum omissum est,

verbotenus prope apud Strabonem servatum esse verbis *ῥάχις ὀρεινὴ κτλ.* quae supra attuli. Neque offendere oportet quod Artemidorus quidem apud Stephanum pergit: *πρῶτον μὲν Ὡριτανοί*, Strabo vero dicit *ῥάχις ὀρεινὴ τῆς Βαστητανίας καὶ τῶν Ὡρητανῶν*. Nam totum dorsum in Bastetanorum terra est, qui secundum oram maritimam habitant. Oretani vero, qui magis introrsum ab ora maritima adversus septentrionem pertinent, has regiones modo tangunt c. 3, 2. C. 152 *Ὡρητανοί . . διήκοντες ἐκ μέρους μέχρι τῆς παραλίας τῆς ἐντὸς στηλῶν*. Qua de causa etiam is qui tradit *πρῶτον μὲν Ὡρητανοί*, dicere potest *ῥάχις τῆς Βαστητανίας καὶ τῶν Ὡρητανῶν*. Praeterea in reliqua Strabonis descriptione Oretani eundem locum tenent atque apud Artemidorum: quod elucet ex his locis c. 4, 14, C. 163: *Μετὰ δὲ τοὺς Κελτίβηρας πρὸς νότον εἰσὶν . . καὶ Βαστηταροὶ καὶ Ὡρητανοὶ σχεδὸν δέ τι καὶ μέχρι Μαλάκας* c. 4, 2, C. 156.: *πόλις δ' ἐστὶν ἐν τῇ παραλίᾳ ταύτῃ πρώτῃ Μάλακα*. Atque nunc quidem dilucidius perspicere possumus, quid statuendum sit de his locis: Strab. III. 3, 2, C. 152.: *τῆς μὲν οὖν Ὡρητανίας κρατιστεύουσά ἐστι πόλις Καστουλὼν καὶ Ὡρία*. Steph. s. v. *Κασταλών, μεγίστη πόλις Ὡρητανίας, ὡς Ἀρτεμίδωρος τρίτῳ γεωγραφουμένων* Steph. s. v. *Ὡρισία . . Ἀρτεμίδωρος ἐν δευτέρῳ γεωγραφουμένων . . πρῶτον μὲν Ὡριτανοί, πόλεις δ' ἐν αὐτοῖς εἰσι μεγάλαι Ὀρσία καὶ Καστάλων*. Duae enim sunt res, in quibus viri docti jure offenderunt. Primum quidem Strabo c. 3, 2, C. 152. de primaria (*κρατιστεύουσα*) Oretaniae urbe locutus duo nomina subicit *Καστουλὼν καὶ Ὡρία*. Deinde autem apud Steph. s. v. *Κασταλών* Artemidori liber tertius affertur, s. v. *Ὡρισία* vero, ubi cum aliis rebus eadem atque s. v. *Καστάλων* exponuntur, liber secundus citatur. Priorem jam difficultatem Kramerus ita tollendam esse suspicatur, ut scribamus *κρατιστεύουσαί εἰσι πόλεις*, quod respondeat Artemidori verbis *πόλεις δ' ἐν αὐτοῖς εἰσι μεγάλαι* (s. v. *Ὡρισία*.) Ukertus autem (II. 1. p. 411) dicit: Strabo bemerkt, die angesehenste Stadt sei Castulo, angehängt ist dann *καὶ Ὡρία*, was vielleicht ein späterer Zusatz ist. Quod vero apud Steph. altero loco exstat *Ἀρτεμίδωρος ἐν δευτέρῳ* altero *ἐν τρίτῳ γεωγραφουμένων*, Stiehle (Philol. B. 11. p. 189) censet scripturam *τρίτῳ* vitio quodam e *δευτέρῳ* ortam esse.

Nobis haec omnia plana fiunt ratione minus violenta. Artemidorus re vera in duobus libris de urbe Castulone verba fecit: primum quidem in libro secundo in maris interni descriptione, ubi pervenit periplus ad Oretanos oram tangentes (Steph. s. v. *Ὠρισία* = Strabo III, 4, 2, C. 156 *ῥάχις ἐστιν ὀρεινὴ τῆς Βαστητανίας καὶ τῶν Ὠρητανῶν*), deinde vero in libro tertio, in quo ora Hispaniae ad oceanum spectans descripta est (Steph. s. v. *Βελιτανοί οἱ αὐτοὶ τοῖς Λυσιτανοῖς, ὡς Ἀρτεμίδωρος ἐν τρίτῳ.*) Iam enim vidimus in periplo cum hac orae descriptionis parte conjunctam esse enumerationem populorum, qui supra hanc oram magis introrsum habitant (Strab. III. 3, 2, C. 152.): quarum gentium maxime ad meridiem vergentes sunt Oretani, quam ob rem Artemidorus hunc populum eiusque primariam urbem iterum commemorat (Steph. s. v. *Καστηλών*). Nunc elucet Artemidori libr. tertii verbis *Καστηλών μεγίστη πόλις Ὠρητανίας* respondere Strabonis verba c. 3, 2, C. 152.: *τῆς μὲν οὖν Ὠρητανίας κρατιστεύουσά ἐστι πόλις Καστουλών*. Verba autem *καὶ Ὠρία* additamentum posterius esse recte dixit Ukertus: quod utrum ab interpolatore quodam an ab ipso factum sit, quis est qui dijudicare possit?

Iam redeamus ad periplum, qui pervenit ad primum orae oppidum *Μάλακα* eiusque salsamentorum mentionem facit: quae in quoque oppido commemorare, hujus peripli proprium est: c. 1, 8, C. 140.: *Μελλαρία ταριχείας ἔχουσα . . . . Βελών . . καὶ ταριχεῖαι* c. 4, 2, C. 156. *Μάλακα . . καὶ ταριχείας ἔχει . . . . ἡ τῶν Ἐξιτανῶν πόλις, ἐξ ἧς καὶ τὰ ταρίχη . .* c. 4, 6, C. 158. *Καρχηδὼν ἡ Νέα . . πολλὴ ἡ ταριχεία.* Ea, quae deinceps proferuntur de Maenace et Malaca, aperte peripli tenorem interrumpunt: in quibus res sic se habere mihi videtur: In periplo de urbe Malaca dictum est: *Φοινικικὴ τῷ σχήματι*, quae verba apud Strabonem exstant, vel simile quiddam: quod elucet e verbis, quibus periplus continuatur c. 4, 3, C. 157.: *Μετὰ ταύτην Ἄβδηρα Φοινίκων κτίσμα καὶ αὐτή.* Apud alium vero scriptorem (*τινὲς*), de quo quaestionem frustra instituit[1]), Strabo invenerat, Maenacam idem oppidum esse ac

[1]) Ex eo, quod interpolator ap. Avien. Or. Marit. 421—426 in eundem errorem ac nostri *τινές* incidit, nihil certi cognovi. Muellenhoff. Deutsche Altertumsk. I., p. 84 et 147.

Malacam. Ipsi autem, ut viro docto, notum erat (*παρειλήφαμεν*), Maenacam esse ultimam Phocaicarum versus occasum civitatem, dirutam quidem sed adhuc vestigia originis retinentem. Denique quo spatio Maenace a Calpe distaret et inter quaenam oppida eius parietinae exstarent, Strabonem omnino ignorasse colligimus e verbis nimis incertis: *ἀλλ' ἐκείνη μὲν ἀπωτέρω τῆς Κάλπης, Μάλακα δὲ πλησίον μᾶλλον*: qua e re simul apparet, in periplo nihil scriptum fuisse de Maenace.

§ 3.

Mira verba, quae ap. Stephan. de Abdera oppido s. h. v. exstant: . . *πόλις Ἰβηρίας πρὸς τοῖς Γαδείροις, ὡς Ἀρτεμίδωρος ἐν δευτέρῳ γ.*, intelligi vix possunt atque Artemidori epitomae auctori debentur. Supra hoc oppidum in montibus periplus commemorat Odysseam oppidum (*ὡς . . καὶ Ἀρτεμίδωρος*): qua re Straboni occasio offertur ad digressionem faciendam de quibuslibet monumentis ad Homeri narrationes spectantibus. Nomen quidem *Ὀδύσσεια* fortasse solus Posidonius dedit, Ab Asclepiade Myrleano eam appellatam esse *Ὀδυσσεῖς* certo apparet e nominibus quae sequuntur: *Ἀμφίλοχοι, Ἕλληνες*. Etiam apud Steph. s. h. v. nomen *Ὀδυσσεῖς* traditum est. Quae deinde post Asclepiadis verba (. . . *διαβάντος εἰς τὴν Ἰταλίαν*) [1]) ab Artemidoro petivit de Lotophagis, sumpsit ex eius descriptione Libyae: c. 4, 3. C. 157.: *σιτούμενοι λωτόν, πόαν τινὰ καὶ ῥίζαν* = XVII 3, 8, C. 829 *αὐτὸς δὲ* (sc. *Ἀρτεμίδωρος*) . . . *τινας ἱστορεῖ Λωτοφάγους . . σιτοῖντο δὲ λωτόν, πόαν τινὰ καὶ ῥίζαν* . . . In extrema tum paragrapho alii Lotophagi dicuntur . . . *οἰκοῦντες . . . τὴν Μήνιγγα.*: quorum notitiam Strabo Polybio debet: I, 2, 17, C. 25: *καὶ τὰ ἐν τῇ Μήνιγγι δὲ τοῖς περὶ τῶν Λωτοφάγων εἰρημένοις συμφωνεῖν* (sc. *Πολύβιος εἴρηκεν*) XVII. 3, 17, C. 834.: *τὴν δὲ Μήνιγγα νομίζουσιν εἶναι τὴν τῶν Λωτοφάγων γῆν τὴν ὑφ' Ὁμήρου λεγομένην, καὶ δείκνυταί τινα σύμβολα, καὶ βωμὸς Ὀδυσσέως καὶ αὐτὸς ὁ καρπός . πολὺ γάρ ἐστι τὸ δένδρον ἐν αὐτῇ τὸ καλούμενον λωτόν, ἔχον ἥδιστον καρπόν.* Polyb. XII. 2 (Hultsch p. 809) *ἔστι δὲ τὸ δένδρον ὁ λωτὸς*

[1]) Muell. f. h. g. III. p. 301, n. 5.

οὐ μέγα . . . ὁ δὲ καρπὸς . . . Videmus lotum apud Strabonem dupliciter fingi, primum Polybio auctore arborem fructibus praeditam, deinde secundum Artemidorum herbam quandam et radicem.

§§ 4—5.

Has paragraphos praeterire mihi liceat, quia altera complectitur digressiones quales Strabo adamat de Homeri scientia geographica, altera cogitationes et animadversiones historicas Strabonis ipsius continet: in quibus ea doctrina lucet, quam e variis variorum auctorum libris hausit atque ex notitia rerum suo tempore gestarum sibi comparavit.

§ 6.

Iam pergit periplus ad Carthaginem Novam. Verba quae pertinent a *καὶ γὰρ ἐρυμνή τ' ἐστι* . . usque ad *περὶ ὧν εἰρήκαμεν,* in peripli descriptionem inserta sunt. Ac de argentariis metallis jam in priore descriptione Polybius laudatus est c. 2, 10, C. 147. De situ vero (*λιμήν, λίμνη*) et munitionibus hujus urbis apud eundem scriptorem Straboni copiosa narratio praesto erat (Pol. X., 10) e qua haec deprompta esse mihi videntur. In proximo autem enuntiato facile peripli tenorem rursum sentimus: *κἀνταῦθα καὶ ἐν τοῖς πλησίον τόποις πολλὴ ἡ ταρχεία.* Deinde mercatura magna commemorata Carthagine profectus subsistit periplus in ostio Sucronis fluvii, cujus cursum ratione hujus peripli describi, jam supra, ubi de fluviis omnibus disseruimus, dictum est. Tum demum, postquam huius fluminis mentionem fecit, ea quae inter Sucronem et Carthaginem Novam sita sunt, depingit eaque inverso ordine a Sucrone rursus Carthaginem tendens: *μεταξὺ μὲν οὖν τοῦ Σούκρωνος καὶ τῆς Καρχηδόνος τρία πολίχνια . . οὐ πολὺ ἄποθεν τοῦ ποταμοῦ . . εἶθ' ἡ τοῦ Ἡρακλέους νῆσος ἤδη πρὸς Καρχηδόνι.* Hoc jam luce clarius est, Strabonem ab ordine quo res in periplo explicatae sunt, recedere. Tamen quaeri potest num res ipsae, quae proferuntur, partim vel omnes e periplo petitae sint. Neque enim si pauca illa verba de Sertorio facta removemus, inest in hac descriptione quicquam, quod in Artemidori periplo fuisse non possit, et revera Artemidorum de his

rebus dixisse, cognoscimus e Stephani verbis s. v. Ἡμεροσκοπεῖον πόλις Κελτιβήρων Φωκαέων ἄποικος. Ἀρτεμίδωρος δευτέρῳ λόγῳ γ. Verisimile est, verba Κελτιβήρων πόλις ei qui Artemidori epitomen confecit deberi, qui situm et regionem hujus oppidi in universum significare vellet. Hispaniae enim pars ad orientem spectans interdum generatim Celtiberum terra nominata est. Verba autem Φωκαέων ἄποικος sine dubio Artemidori sunt congruuntque cum Strabonis verbis τρία πολίχνια Μασσαλιωτῶν. Quae cum ita sint, denique inquirendum est, quidnam causae fuerit, cur Strabo etsi periplum adhibebat, tamen ab eius firmo ordine recederet. Spectemus haec verba c. 4, 6, C. 158 extr.: ἡ δ' ἐνθένδε (sc. ἀπὸ Καρχηδόνος) μέχρι τοῦ Ἴβηρος παραλία C. 159 ineunt: μεταξὺ μὲν οὖν τοῦ Σούκρωνος καὶ τῆς Καρχηδόνος deinde πάλιν δ' ἐπὶ θάτερα τοῦ Σούκρωνος ἰόντι ἐπὶ τὴν ἐκβολὴν τοῦ Ἴβηρος § 7.: Μεταξὺ δὲ τῶν τοῦ Ἴβηρος ἐκτροπῶν καὶ τῶν ἄκρων τῆς Πυρήνης ἐφ' ὧν ἵδρυται τὰ ἀναθήματα τοῦ Πομπηίου, quibus cum verbis comparemus: c. 4, 1, C. 156: φασὶ δὲ ἀπὸ μὲν Κάλπης . . ἐπὶ Καρχηδόνα Νέαν . . . ἐντεῦθεν δ' ἐπὶ τὸν Ἴβηρα . . . ἐντὸς δὲ τοῦ Ἴβηρος μέχρι Πυρήνης καὶ τῶν Πομπηίου ἀναθημάτων. Nemo negabit, rationem certam intercedere inter primae par. verba, quae stadiasmi nomine breviter strictimque complecti mihi liceat, et inter institutionem et capita descriptionis singula exhibentis (c. 4, 2, C. 156: κατὰ μέρος δὲ ἀπὸ Κάλπης κτλ.) Stadiasmum quidem ab Artemidoro non confectum esse vidimus. Ea vero, quae in ipsa ora depingenda explicantur, Artemidoro imprimis apparuit deberi. Iam mihi videtur Strabo stadiasmi certas partes primario loco in descriptione statuisse, singulas vero res in periplo ordine expositas stadiasmi capitibus inseruisse et subiecisse. Ac primum quidem caput sine secundariis partibus Carthagine Nova finitur: qua re in hac parte peripli tenor servatur. Alterum, quod est inde a Carthagine usque ad Iberum, in stadiasmo in duas secundarias partes divisum videtur: § 6, C. 158. ἡ δ' ἐνθένδε μέχρι τοῦ Ἴβηρος . . κατὰ μέσον πως τὸ διάστημα ἔχει τὸν Σούκρωνα ποταμὸν . . Sic geographus post Carthaginem statim ad Sucronem pervenit atque inde ab hoc loco

retrorsum (*μεταξὺ μὲν οὖν τοῦ Σούκρωνος καὶ τῆς Καρχηδόνος*) et protinus (*πάλιν δ' ἐπὶ θάτερα τοῦ Σούκρωνος ἰόντι*) depingens ea enarrat, quae in periplo inde a Carthagine usque ad Iberi ostium deinceps exstabant. Itaque exceptis verbis C. 158 extr. *ἡ δ' ἐνθένδε . . . . ἔχει τὸν Σούκρωνα* censeo omnia, quae in hac par. Strabo in medium fert, ex Artemidori periplo petita esse, nisi quod in Carthagine describenda partim Polybio usus est.

§ 7.

In primis quidem verbis, ut demonstravimus, stadiasmi orae divisio patet. De Tarracone vero urbe in periplo vix plura dicta erant quam *ἁλίμενος μέν, ἐν κόλπῳ δὲ ἱδρυμένη*. Quae sequuntur de magnitudine et vigore hujus urbis ipsius aetate valde aucto, ea potius ore quam literis eum comperisse consentaneum est. Deinde in periplo Gymnesiae insulae commemorantur ante hanc orae partem sitae. Fortasse quispiam verbis *Ἐρατοσθένης δὲ καὶ ναύσταθμον ἔχειν φησίν αὐτήν* adducatur, ut etiam Eratosthenis descriptionem a Strabone hic adhibitam esse censeat. Sed rem non ita esse, apparebit, cum omnes locos, ubi in Hispaniae descriptione Eratosthenes citatur, spectaverimus. Tres sunt: c. 2, 11, C. 148. *καὶ Ἐρατοσθένης δὲ τὴν συνεχῆ τῇ Κάλπῃ Ταρτησσίδα καλεῖσθαί φησι, καὶ Ἐρύθειαν νῆσον εὐδαίμονα. πρὸς ὃν Ἀρτεμίδωρος ἀντιλέγων καὶ ταῦτα ψευδῶς λέγεσθαί φησι ὑπ' αὐτοῦ, καθάπερ καὶ . .* c. 4, 7 C. 159 *Ἐρατοσθένης δὲ καὶ ναύσταθμον ἔχειν φησὶν αὐτήν, οὐδὲ ἀγκυροβολίοις σφόδρα εὐτυχοῦσαν, ὡς ἀντιλέγων εἴρηκεν Ἀρτεμίδωρος* c. 5, 5 C. 170: *ἔνιοι δὲ στήλας ὑπέλαβον τὴν Κάλπην καὶ τὴν Ἀβίλυκα, τὸ ἀντικείμενον ὄρος ἐκ τῆς Λιβύης, ὅ φησιν Ἐρατοσθένης ἐν τῷ Μεταλωνίῳ Νομαδικῷ ἔθνει ἱδρῦσθαι· οἱ δὲ τὰς πλησίον ἑκατέρου νησίδας, ὧν τὴν ἑτέραν Ἥρας νῆσον ὀνομάζουσιν. Ἀρτεμίδωρος δὲ τὴν μὲν τῆς Ἥρας νῆσον καὶ ἱερὸν λέγει αὐτῆς, ἄλλην δ' οὔ φησιν εἶναί τινα οὐ δ' Ἀβίλυκα ὄρος οὐδὲ Μεταγώνιον ἔθνος:* Quibus locis dubitatio non est, quin omnia, quae apud Strabonem ex Eratosthenis Hispaniae descriptione servata sint, etiam apud Artemidorum contra Eratosthenem disputantem fuerint. Agedum, cum Strabo in Hispania depingenda

Eratosthenis quaslibet sententias non afferat nisi ab Artemidoro improbatas vel refutatas, fieri non potest, quin Strabonem in hac parte omnino non usum esse Eratosthenis descriptione, sed quas eius sententias proferret, eas ex Artemidori periplo deprompsisse existimemus[1]): quod mirum non videtur, cum ipse dicat II. 1, 41 C. 93: *καὶ νῦν δ' εἰρήσθω ὅτι καὶ Τιμοσθένης καὶ Ἐρατοσθένης καὶ οἱ ἔτι τούτων πρότεροι τελέως ἠγνόουν τά τε Ἰβηρικὰ κτλ.*

§ 8.

Hac par. breviter reliqua Hispaniae ora depingitur. Populi qui nominantur *Λεητανοί* et *Λαρτολαιῆται*, ab Ukerto (II, 1, p. 315/16) accensentur Indicetis, quos Strabo c. 4, 1 C. 156 *μεμερισμένοι τέτραχα* dicit: quod ille iniuria asseverare mihi videtur. Nam primum perspicuitatis causa Indicetas iterum nominari oportebat. Tum autem hi populi, quibus secundum Ukertum illae quattuor partes continentur, terram inter Tarraconem et Emporias sitam habitare dicuntur. Indicetae vero ab Iberi ostio usque ad Pompei tropaea pertinent (4, 1 C. 156). Iam videmus inter hos et illos rationem nullam intercedere: quod nihil habet offensionis, cum ex auctoribus diversis haec hausta esse cognoverimus. Deinde de intervallo inter Emporias et Galliae Hispaniaeque confinia codicibus tradita sunt verba *ὅσον τετρακισχιλίους σταδίους* manifesto corrupta. Meinekius quidem plerorumque sententiam secutus *τετταράκοντα* in verba scriptoris recepit. Viri docti enim facile intelligentes, quam longe hic Strabonis numerus a vera spatii longitudine recederet, secuti sunt Palmerium, qui eis locis versatus quadraginta vel si ad *πρόποδας Πυρήνης* computaretur, quattuor tantum stadia esse asseveravit. Non recte hoc fecerunt, ut mihi videtur, cum duas res negligerent. Primum enim dicit Strabo *διέχον τῆς Πυρήνης καὶ τῶν μεθορίων τῆς Ἰβηρίας πρὸς τὴν Κελτικήν*. Ubinam haec confinia sint, quis est qui certo determinet? Nam haec verba ex Artemidori periplo petita sunt, qui ubi fines Galliae et Hispaniae posuerit, nescimus. Certe Pompei tropaea

[1]) Heeren (Comment. soc. reg. Gott. V. p. 111) non satis recte dixit: Eratosthenem quoque rerum Hispanicarum non admodum gnarum fuisse. [illegible] sulus tradita corrigit ex Artemidoro

hoc loco non intelligenda sunt. Deinde vero sequuntur verba: *καὶ αὕτη δ' ἐστὶ πᾶσα ἀγαθὴ καὶ εὐλίμενος*. Voce *αὕτη* quidem nihil aliud significari potest quam orae pars ab oppido Emporiis usque ad Hispaniae fines pertinens. Tum vero, si *τετταράκοντα* vel etiam *τέτταρας διέχον σταδίους* scribimus, num sanum sensum exhibent verba *αὕτη ἐστὶ πᾶσα ἀγαθὴ καὶ εὐλίμενος*? Quare hoc apparere mihi videtur, maiorem aliquem numerum ab Artemidoro et Strabone proditum esse. Quaecunque vero de hoc loco sanando tentantur, inania esse mihi videntur et firmo ullo argumento prorsus vacare. Ac periplus quidem ille his verbis finitus est. Hoc enim enuntiato breviter quidem, sed concinne et ad peripli rationem accommodate orae descriptio ad finem perducta est. Sequentia vero nullo ordine proferuntur. Primum verbis *ἐνταῦθα δ' ἐστὶ καὶ* demonstratur additamentum subici. Deinde post oppidi, cui Rhode nomen est, commemorationem rursus de Emporiis verba fiunt. Denique (§ 9) verbis *ῥεῖ δὲ καὶ* fluvii cuiusdam mentio fit: quae omnia singillatim nullo peripli conexu unum ad alterum annectuntur.

Sic per totam oram maritimam primarium descriptionis fontem detegere et indagare conati sumus. Iam dictum est, deesse apud Strabonem septentrionalis orae descriptionem accuratam et ceteris partibus parem. Perpauca tamen verba quispiam afferat, quae instar huius orae peripli videantur c. 3, 7 C. 155 *λέγω τοὺς τὴν βόρειον πλευρὰν ἀφορίζοντας τῆς Ἰβηρίας, Καλλαικοὺς καὶ Ἄστουρας καὶ Καντάβρους μέχρι Οὐασκόνων καὶ τῆς Πυρήνης*. Verba sequentia demonstrant, Straboni etiam de hac orae parte paulo copiosiora apud auctorem, quo utebatur, praesto fuisse, quae tamen propter rerum gentiumque ignobilitatem neglexit. Etiam haec Artemidoro tribuenda esse, aliquatenus probatur his verbis comparatis c. 3, 3 C. 152/53 *ὅμοροι δ' εἰσὶν ἐκ τοῦ πρὸς ἕω μέρους οἱ μὲν Καλλαικοὶ τῷ τῶν Ἀστούρων ἔθνει* .... Eandem enim invenimus collocationem Clallaicorum et Asturorum his locis quorum altero Artemidorum esse auctorem demonstravimus.

Nunc vero ea perlustremus, quae post peripli finem Strabo in australi ora describenda profert. Ac primum quidem Rhode oppidum commemoratur, de quo spectemus hos locos: XIV. 2, 10

C. 654: ἱστοροῦσι δὲ καὶ ταῦτα περὶ τῶν Ροδίων . . ἀφ' οὗ καὶ μέχρι Ἰβηρίας ἔπλευσαν, κἀκεῖ μὲν τὴν Ῥόδον ἔκτισαν, ἣν ὕστερον Μασσαλιῶται κατέσχον . . τινὲς δὲ μετὰ τὴν ἐκ Τροίας ἄφοδον τὰς Γυμνησίας νήσους ὑπ' αὐτῶν κτισθῆναι λέγουσιν, ὧν τὴν μείζω φησὶ Τίμαιος μεγίστην εἶναι . . . Scymn. Chius 205 . . . Ῥόδη δὲ δευτέρα . ταύτην δὲ πρὶν ναῶν κρατοῦντες εἰς Ἰβηρίαν οἱ Μασσαλίαν κτίσαντες ἔσχον Φωκαεῖς . . . Μασσαλία δ' ἐστ' ἐχομένη πόλις μεγίστη Φωκαέων ἀποικία. Ἐν τῇ Λιγυστικῇ δὲ ταύτην ἔκτισαν . . . Τίμαιος οὕτως ἱστορεῖ δὲ τὴν κτίσιν. Muellerus quidem (fgr. h. gr. I, p. 199 et 201, fgr. 30 et 40) apud Strabonem ea modo, quae de Gymnesiis exstant, apud Scymnum Chium sola de Massilia verba Timaeo tribuit. Sed illo Strabonis loco vix dubitaverim, quin indidem geographus, unde Rhodiorum ad Gymnesias insulas navigationes comperisset, notitiam quoque de oppidis in Hispaniae ora ab hoc populo conditis sibi paraverit. Apud Scymnum vero cum de Massilia a Phocaecensibus condita Timaeus laudetur, nonne adducimur, ut credamus etiam reliquam de illorum coloniis expositionem ab illo petitam esse? Apud Strabonem igitur videmus Timaeum de Rhodiorum adversus occidentem navigationibus dicere. Apud Scymnum idem laudatur de Phocaeensium coloniis in eadem regione sitis. Iam cum utroque loco una et de Phocaecensibus et de Rhodiis dicatur, censeo utrumque scriptorem omnia, quae de his rebus narrat, Timaeo debere. Deinde vero in libro XIV apud Strabonem invenimus: κἀκεῖ μὲν τὴν Ῥόδον (emend.: δὴ) ἔκτισαν (sc. οἱ Ῥόδιοι) ἣν ὕστερον Μασσαλιῶται· Tertii autem libri loco, a quo profecta est haec quaestio, exstat: Ῥόδη πολίχνιον, Ἐμποριτὸν κτίσμα, τινὲς δὲ Ῥόδίων φασί. Equidem non existimaverim, differentiam horum locorum e diversa auctorum memoria ortam esse. Nam primum quod altero loco scriptum est Μασσαλιῶται κατέσχον altero Ἐμποριτῶν κτίσμα, nullius momenti est, cum Emporiae et ipsae Massiliensium colonia sit. Eadem ratione Strabo dicit III. 4, 6 C. 159 τρία πολίχνια Μασσαλιωτῶν . . τούτων δ' ἐστὶ γνωριμώτατον τὸ Ἡμεροσκοπεῖον, Artemidorus vero ap. Steph. s. v. Ἡμεροσκοπεῖον . . Φωκαέων ἄποικος. Reliqua autem discrepantia nulla alia re effecta esse mihi videtur quam indiligentia qua-

dam scribendi, in quam Strabo hoc tertii libri loco incidit. Timaeum igitur horum verborum auctorem esse mihi persuasum est. Tum Dianae Ephesiae cultus in his oppidis, quae a Phocaeensibus condita sint, florere dicitur. Causa exponitur in IV, 1, 4 C. 179. Fabula illa de Aristarche nullo alio loco apud auctores veteres narratur. Alia quidem narratiuncula, quae fertur de Massilia condita, ab Aristotele tradita est (Mueller fgr. hist. II. 176 fgr. 239. Sed etiam Timaeum plura de illa re protulisse, elucet e verbis Steph. s. v. *Μασσαλία* (Muell. I. p. 201, fgr. 59). Equidem, cui haec de Aristarche narratio tribuenda sit, diiudicare nequeo[1]). In extrema denique paraprapho geographus noster resilit ad res de Emporiis memorandas. Eadem fere de hac urbe exponit Livius (XXXIV. 9) adiciens tertium genus incolarum a Caesare in oppidum introductum. Nissenius quidem in libro, quem de Livii auctoribus scripsit, censet in hac parte Livium Romanos annalium scriptores secutum esse. Atque Ungerus (Philol. III. suppl., part. II. p. 178) probare conatur ea quae apud Livium de Emporiis exstant, a Claudio originem trahere. Iam si Livii et Strabonis verba comparabimus, vix nos fugiet, ea partim inter se simillima esse: *δίπολις δ' ἐστὶ τείχει διωρισμένη* = duo oppida erant muro divisa, *τῷ χρόνῳ δ' εἰς ταὐτὸ πολίτευμα συνῆλθον* = nunc in corpus unum confusi. Diversitas sane in totam expositionem irrepsit ea de causa, quia Strabo quae sua fere aetate huic urbi accidissent, neglegens antiquioris scriptoris descriptionem satis integram protulit, Livius haec respiciens quae mutanda videbantur mutavit. Quae cum ita sint, quem alium Livii et Strabonis communem esse auctorem existimemus quam Polybium[2]? Sic vidimus ea quae ad extrema peripli Artemidori verba *καὶ αὕτη δ' ἐστὶ πᾶσα ἀγαθὴ καὶ εὐλίμενος* adduntur, descriptionis ordine interrupto e diversis libris congesta esse.

---

[1]) Iis, quae Dederich Rh. Mus. 4. p. 129 ff. de Aristarche disserit, haec res non illustratur.

[2]) Quae sententia non pugnat cum Ungero, qui Claudium Polybio usum esse censeat.

§ 9.

Initio huius par. iterum Strabo exponit de rebus, quae inter Emporias et Pompei tropaeas mentione dignae sunt. Tum postquam Emporiensium nonnullos extrema Pyrenes accolere dixit annectit descriptionem viae quae est a Pompei tropaeis usque Obulconem: *εἰς ταὐτὸ δὲ τείνουσαν τῇ προτέρᾳ, τὰ περὶ Καστλῶνα καὶ Ὀβούλκωνα*: per quae loca viam esse Cordubam et Gades subiungit. Spectemus rationem et colorem huius descriptionis. Primum quidem exile quoddam itinerarium hic non subesse apparet e verbis: . . *τῷ Σπαρταρίῳ καλουμένῳ πεδίῳ· τοῦτο δ' ἐστὶ . . . τὴν Ἰταλίαν:* unde suspicari licet, etiam priorem partem apud auctorem eius aliquanto copiosius tractatam esse quam apud Strabonem: *φέρεται δὲ ἐπὶ Ταρράκωνα ἀπὸ τῶν ἀναθημάτων τοῦ Πομπηίου διὰ τοῦ Ἰουγκαρίου πεδίου . . .* Iam cum campus Iuncarius bis commemoretur, primum ante ipsam viae descriptionem, deinde in viae cursu, verisimile est, etiam initium huius par. ex hac viae descriptione sumptum esse. Viae descriptionem quidem apparet coepisse a Pompei tropaeis. Ibi *τινὲς τῶν Ἐμποριτῶν νέμονται.* Pergit via ad *τὴν μεσόγαιαν* Emporiensium *χώραν*, transit fluvium, qui dicitur *ἐκ τῆς Πυρήνης ἔχων τὰς ἀρχάς.* Hic portum efficit Emporiensibus, quos linificio operam dare breviter mentio fit. Deinde per alia loca Tarraconem proficiscimur. Hunc fere censeo descriptionis tenorem fuisse. Strabo nimirum, qui in par. octava extrema in rebus de Emporiis narrandis substitit, ordine res usque ad Pompei tropaea explicare studuit. Quo factum est, ut contrario ordine eum describere necesse esset. Cum autem eo advenisset, viae ipsam descriptionem adiunxit ac tum primam partem de qua iam egit, breviter perfecit. Deinde consideremus haec verba: *ἐντεῦθεν διὰ Σαγούντου . . ἐνεχθεῖσα κατὰ μικρὸν ἀφίσταται τῆς θαλάττης καὶ συνάπτει τῷ Σπαρταρίῳ . . . . νυνὶ δὲ ἐπὶ τὰ . . . ἐπιψαύουσαν μόνον . . κτλ.* Haec Strabo mea sententia a nullo petere potuit, nisi ab aliquo qui quae ipse videret, depinxit. Tum post descriptionis finem Strabo adicit verba: *φασὶ δὲ οἱ συγγραφεῖς ἐλθεῖν Καίσαρα ἐκ Ῥώμης ἑπτά καὶ εἴκοσιν ἡμέραις εἰς τὴν Ὀβούλκωνα . .* Huic additamento alquid miri inesse, fortasse unus quisque sentiet: descripsit Strabo viam a Pompei

tropaeis Obulconem tendentem: ad quam rem quot diebus Caesar Roma profectus Obulconem venerit, prorsus non pertinet. Id potius exspectamus pronuntiari, quot dicbus via quae descripta est, percurri possit. Attamen hanc par. nobis perlegentibus facile subnascitur suspicio, certissimam quandam rationem inter huius viae descriptionem et inter verba de Caesare facta intercedere. Usque enim eodem, non ultra haec via depingitur, quo et ipse Caesar profectus est. Iam luce clarius est, utra res utrius ansam dederit. Non addit Strabo post viae a Pompei tropaeis usque Obulconem pertinentis descriptionem fortuito, quot diebus Caesar Roma Obulconem pervenerit. E contrario Caesaris iter Roma Obulconem tendens principio ansa erat, ut illa via describeretur. Atque ibi, unde Strabo sua petivit, consentaneum est totum iter depictum fuisse. Strabo nimirum eam tantum partem adhibuit, quae in Hispania versatur. Iam cum hoc loco *οἱ συγγραφεῖς* laudantur, primo obtutu exspectamus, apud scriptorem quendam, qui res a Caesare gestas prodidit, hanc descriptionem fuisse. Commemoratur illud iter his locis: Appian. II. 103 Sueton. Caes. c. 56 Oros. VI. 16 Dio 43, 32. In libro de bello Hispaniensi scripto de hac re nihil invenimus neque si libros deperditos, quibus Caesaris res gestae memoriae traditae sunt, circumspicimus, quidquam proficimus, cum nihil certi cognosci possit. Hoc tantum non est dubium, quin Asinius Pollio, quem primo loco spectare oportet, viae descriptionis auctor non sit. Nam dum Caesar Pompeianos in Hispania opprimit, ipse in Africam transvectus est (Appian. II. 45 cfr. Bailleu diss.: De Asin. Pollion. Götting. 1874 p. 4.). Iis vero locis, quibus de Caesaris celerrimo itinere verba fiunt, nullo modo ipsa via depingitur. Ac ne consentaneum quidem est, hoc a scriptoribus factum esse. Quid enim sibi vellet otiosa itineris descriptio interposita inter res summa festinatione et contentione gestas? Iam cum tamen conexionem artissimam intercedere oporteat inter Strabonis viae descriptionem et verba de Caesaris itinere facta quid restat? Spectemus Sueton. Caes. 56: „Reliquit (Caesar) de Analogia duos libros et Anticatones totidem ac praeterea poema quod inscribitur Iter. Quorum librorum primos in transitu Alpium, cum ex citeriore Gallia conventibus peractis ad exercitum rediret: sequentes sub tempus

Mundensis proelii fecit, novissimum, dum ab urbe in Hispaniam ulteriorem quarto et vicensimo die pervenit.“ Quibus verbis cum comperiamus Caesarem in illo celerrimo itinere, poema quod inscribitur Iter composuisse, quid aliud existimemus huius poematis argumentum esse quam ipsius eius, quod fecit, itineris descriptionem? Ex hoc poemate Strabo hausit descriptionem quae exstat in hac paragr., atque hanc solam ob rem simplicissimo causarum nexu factum est, ut Strabo postquam viam a Pompei tropaeis usque Obulconem pertinentem descripsit, adderet, quot diebus Caesar Obulconem venisset. Concedo hanc sententiam tum tantum probabilem esse, si existimare liceat, in Caesaris ipsius descriptione quot diebus iter perfecisset, non dictum esse. Nam si hoc in ipso carmine commemoratum esset, Strabo rerum scriptores certe non citasset. Sed vix quisquam contendet, necesse esse putare Caesarem in poemate illo dierum numerum enuniasse.

Hac paragrapho orae maritimae descriptio finita est Restat igitur, ut

III.

ea recenseamus, quae de Hispaniae mensuris apud Strabonem inveniamus. Haec enim adhuc separavimus tantum, eo consilio, ut una eorum fontem indagemus. Simul cum hac re congungenda est quaestio de auctoribus cap. prim. paragr. tertiae, quam initio huius commentationis tractare nondum potuimus. Sed hanc commentationis prrtem, qua ad illam de Augusti chorographia quaestionem adducemur, puplici iuris facere nunc nondum possum.

VITA.

Ricardus Zimmermann natus sum a. d. III. Cal. October a. h. s. LXI Naumburgi, patre Friderico Guilelmo, matre Karolina e gente Roselt. Patrem praematura morte mihi ereptum esse valde doleo. Fidem profiteor evangelicam. Literarum primordiis in puerorum ludo instructus per octo annos frequentavi gymnasium Naumburgense. Maturitatis testimonium adeptus Lipsiae per unum semestre versatus sum, ubi scholis interfui vv. ill. Braune, Biedermann, Hirzel, Lange. Deinde Halas transmigravi, ubi per sex semestria me docuerunt vv. ill. Dittenberger, Keil, Hiller, Zacher, Neumann, Haym, Erdmann. Seminarii philologici per quater sex menses sodalis ordinarius fui. Praeterea Hiller, Keil, Neumann benigne permiserunt, ut particeps societatum suarum essem. Quibus viris cum omnibus tum Hillero et Neumanno qui studiorum meorum optimi adiutores esse voluerunt, gratiam semper habebo quam maximam.

Gs 53.235
Quibus auctoribus Strabo in libro t
Widener Library 007218838
3 2044 085 170 538